EQVITIS POL


Propheta S. Hyldegardis Brouij T. XV.
Fol. 465.

Saluatores nominantur. ab Equite . fol. 4.

1626

Ioannis Broscii Curzelouiensis
Medicinae Doctoris ordinarii
Astrologi. post mortem ipsius
Bibliothecae maioris Collegii in
Academia Cracouiensi. rogat
autem vt omnia quae hic inser
ta sunt, integre ad posteritatem
conseruentur alioquin vnitatem hanc

Destruenti anathema
Conseruanti benedictio.

.O. 

IX. 10. I.

Contactus. ad punctum

Vulgaris hic oculus caligabit diffidetque plurimum.
Procul este prophani.

inter 9 et 10 reponitur Proca Dawidowa Zahorowii Calissii impressa, ubi locus non exprimatur, scriptum maledicum ab ipsis Jesuitis consarcinatum sub nomine Zahorowii ipso consentiente evulgatum. omnia enim quae in illo continentur ego audivi ex ore Friderici Schenkel Jesuitae, audiverunt et alii. Zahorowius vero pungere Canonicos studuit more Bursarum consuetudine, nullo modo scire potuit aliud, quam ex relatione Jesuitarum tragoediam istam adornantium.

Contenta in hoc volumine

1 Equitis Poloni actio in Jesuitas prima
2 Spongia contra Equitem Ratio
3 Actio Arnaldi in Parlamento Parisiensi
4 Praeparatio de indiciis
5 Ad Paulum quintum pro Republica Veneta Oratio
6 Gravis deliberatio de compescendo crudelitatis conatu Jesuitarum
7 Odpowiedź na Artykuł przeciwko Jezuitom Starym
8 Responsio ad reprotestationem Jesuitarum
9 De Ignatio Lorecio Zahorowii Calissiensis
Proca Dawidowa Zahorowskiego
10 Obiaśnienie przeciwko Jezuitom Stachura pisanego
11 Tarcza obrony przeciwko proce
12 Vindiciae adversus Zahorowski
13 Confutatio convicii Zahorowski
14 Examinatio Borussi stylo durissimo
15 Grady Przymówki Consens
16 Epistola cuiusdam ad quendam
17 Ad Senatores Regni Poloniae scripta Jesuitarum
18 Widok Statystyczny Jezuitów S. Xawerego obraz
Distinctio anathema
Consternatio benedictio.

Ioan. Mariana Hispanus Jesuita libro 220
Antiquis temporibus qui ex Monachis Episcopi ac summi
Pontifices extiterunt numerare vix licet, nostra aetate
vix unus aut alterum eorum non tam ob integritatem
quam multis artibus ambitiosos ecclesiis esse praefectos
consideramus. Vide libro illud caput.

Grauis & maximi momenti

DELIBERATIO.

De compescendo perpetuo crudeli conatu

IESVITARVM.

Typographus Lectori S.

CVm hoc consilium à viro quodam sapientissimo & patriæ amantissimo, accuratè perscriptum, procul è Polonia ad nos missum, à pluribus viris præstantibus lectum, omniumq; calculis probatum intellexissemus, edendum quoq; in Germania censuimus: neq; dubitamus, quin huius libelli lectio æquè omnibus grata futura sit, tùm quod dicuntur, quæ ad pacem in regnis prouinciisq; vniuersi orbis Christiani publicam tuendam faciant, tùm quod ipsa à Pontificio profecta sunt, de quo sinistra in religionem Romanam suspicio excitari nemini potest. Insuper verò etiam ad iterationem editionis maturandam me permouit, quod exempla per omne regnum à Iesuitis coëmpta combustaq; nunciantur. Hoc quoq; scire te volui: Vale.

ANNO

M. D. C. IX.

CONSILIVM DE RECVPERANDA ET IN POSTERVM stabilienda pace REGNI POLONIÆ,

In quo demonstratur,
PACEM NEC CONSTITVI, NEC stabiliri posse, quamdiu IESVITAE in Polonia maneant.

Ad Illustres Regni Poloniæ Proceres.

Ex Correcto & recognito Polonico in Latinum conuersum.

Præfatio Interpretis
AD LECTOREM.

QVando præſens Scriptum primùm ex Polonia allatum eſt, mihiq; vt illud perlegerem traditum, magna me eius ſub primam lectionem admiratio cæpit, propter duas præcipuè cauſſas: Primùm ob rerum ipſarum pondus & grauitatem; Deinde quòd intelligerem, Ieſuitarum Artes tandem & ſtratagemata etiam Natiorni Polonicæ innotuiſſe, & in eâdem tantum hactenus potuiſſe, vt ex iiſdem publicæ libertati non exiguum periculum immineat. Quæ res ante annos 20. quando in Regionibus illis verſarer, planè incredibilis viſa eſſet, adeò vt ſi tum temporis aliquis Poloniæ tale quid auſus eſſet prædicere, cum riſu hauddubiè ab ipſis exceptus & exibilatus fuiſſet. Neq; ſanè mihi hactenus idem paſſus ſum perſuaderi, quantumuis à mulis multa ea de re narrari audiuerim: quòd non ſolùm Libertas Polonica mihi nota, ſed etiam libertatis feruentiſſimum ſtudium in Gente illa probè perſpectum eſſet.

Cum itaq; de hiſce rebus, vt inexpectatis & planè nouis, ſermones cum aliis crebrò conferrem, quibus Poloniæ Status, vt in hac vicinia & commerciorum frequentia, non prorſus ignotus erat, plæriq; apud me inſtare cæperunt, vt illud vel Germanicè vel Latinè interpretarer, quò id pluribus communicari poſſet: à quo equidem labore non admodum abhorrebam, quòd hoc Polonici ſermonis

exercitium mihi in hac eius diuturnâ desuetudine non inutile futurum videretur. Verùm stili character me deterrebat, Cuius sensum alicubi vix assequebar, nedum vt satis commodè & citra Authoris, Viri haudubiè non vulgaris, iniuriam, in aliud idioma transferri posse, considerem.

Cum verò illi instarent, & difficultates, quas prætendebam, eleuarent, Ego illud eâ conditione recepi, vt mihi liceret interdum à Polonismo deflectere: vbi nempe phraseos Polonicæ vim non penitus exprimere possem, vt ea missa, sensum Polonicum latinè enunciarem, quantum videl. mihi de Latinismi possessione arrogare queo: Ne, dum Stili Polonici argutias frustra consector, nec Polonicè nec Latinè loquar, & sic à neutro intelligar. Latinè autem Scriptum hoc ideò potiùs, quàm Germanicè, interpretari volui, quòd Polonicum idioma cum Latinismo multò maiorem cognationem in plærisq;, quàm cum nostrate idiotismo, habeat. Prædictam itaq; conditionem cum illi facilè admitterent, opus ipsum aggressus sum: sed ita, vt ad eam me tam arctè non passus sim alligari, vt non aliqua interdum authoris vocabula retinuerim, quæ Polonismus, aliarum Europæarum linguarum imitatione & exemplo, ex latina lingua mutuatur, & sibi ea frequenti vsu quasi vendicat: quorum vtplurimùm ea est ratio, vt nonnihil detorta sint, aut saltem elegantioris Latinismi studiosis, ceu minùs Latina, sordescant: qualia sunt; Practica, qualificatio, qualificatus, dismembratio, Executorialis, &c. *Quæ tamen, vt quæ suo iam vsu etiam inter nos inualuerint, & significantia euaserint, minimè aspernatus sum. Polonicum* Rokosz *quod iam nostratibus etiam familiare est, retinui, propterea quòd vox illa vix vllo Latino, aut etiam Germanico vocabulo possit exprimi, vt cuius notio Politiæ Polonicæ propria sit. Lectorem tamen scire velim, per illud generalem & extraordinarium Nobilitatis Conuentum indicari, qui non nisi in extremo Reipublicæ discrimine celebrari consueuit: quem propterea cum illo*

Roma-

Romanæ Reipublicæ Statu aliquis fortè non ineptè comparauerit, quem vltimum illud & penè desperati remedij Senatusconsultum *subitò producere solebat, quando in Senatu decernebatur*, Darent operam Consules, Prætores, Tribuniplebis, quiq; Proconsules sunt ad Vrbem, ne quid Respublica detrimenti capiat. *De quo inter alios Cæsar consuli poterit lib.1. de bello ciuili. Sub hoc autem statu ferè Generale Iustitium publicè indicebatur, sicut etiam in Polonia non ita dudum factum affirmant. Reliqua prudens Lector per se facilè dijudicabit.*

Cum verò Scriptum hac ratione translatum ijs offerrem, quorum Iudicio in huiusmodi rebus permultum tribuo: illi hoc non solùm probarunt, sed vlteriùs me vrgere cæperunt, vt idipsum publicis typis subijcerem, quo sic rerum istarum noticia ad plures peruenire posset. Sic enim persuasi erant, rerum istiusmodi cognitionem, multis in Europa perutilem futuram: qui ex ijsdem vel præsentis status correctionem, vel imminentis periculi auertendi occasionem, petituri essent.

Cum itaq; in hoc opere mihi nil amplius, quàm interpretationis laborem, arrogare possem, hunc alienæ messis fructum nec intercipere, nec amicorum authoritati & Iudicio morosius refragari volui, sed rem totam illorundem arbitrio permisi: hoc saltem mihi reseruato, vt de his, quæ modò explicata sunt, Lectorem præfando monere possem. Id quod illi mihi non grauatim concesserunt. Quo obtento, eiusdem Lectoris commoditati diutius obstare nolui: quem hisce vtiliter frui & prosperè valere opto.

Ad Excelſos Status Incluti Regni Poloniæ.

AFflicto hoc Reipublicæ tempore, Viri Proceres, Patriâ laborante, vobisq́ de publica ſalute conſultantibus, faciendum putaui: Ut non fallendi ocii cauſſa, ſed vt Ciuis indigena Patriæ meæ, quantum per tenuitatem poſſem, talentulo hocce ſubuenirem. Illud quantulumcunq; ſit, obnixè rogo, vt pro veſtra benignitate boni conſulatis, & , ſi lubet, animis veſtris perpendatis, ac malis Reipublicæ, patriæq́ iuſtis remediis ſubueniatis. Medicorum autem more, ſi quis per Prognoſtica, indicia, & varias circumſtantias, morbos Reipublicæ conſideret penitiùs, agnoſcet facilè, eorundem genuinam ſubſtantiam, immenſam magnitudinem, & admirandam planè varietatem. Deindè ſi morborum publicorum cauſſæ, interius & foris, diligentius perpendantur, Ieſuitarum exquiſitiſsimas Artes, & aſtutiſsimam omnium ſibi ſubiectorum, ad conatus ſuos promouendos,

dos, DISPOSITIONEM, *primam certè & omnium maximè principalem esse, facile cordatus quisq; deprehendet: adeò vt, quicquid vspiam malorum in Republica nostra præteritis annis acciderit, magna ex parte solis illud Iesuiticis Artibus imputandum veniat: quamuis ne illi quidem excusandi sint, quorum negligentiâ veneno huic concessum fuit tam propè ad Cor Reipublicæ penetrare. Et nisi maturè Remedium huic Reipublicæ morbo applicetur, & acerrima illa bilis, ex ægro & ferè non absumto Reipublicæ corpore remoueatur, nullum est dubium, quin de salute patriæ nostræ actum sit: ita vt in posterum (quod Deus auertat) de funere Reipublicæ citiùs, quàm de salute restituendâ, sit cogitandum.*

Et quia morbus ille inueteratus acutè satis Patriam nostram hactenus affligit, Curatio eius nulla alia suscipi, imò ne cogitari quidem poterit, nisi caussæ illius mali, sine cunctatione de corpore Reipublicæ ægro radicitus remoueantur: hoc est, vt Iesuitæ, eorumq; dispositoriæ artes è Regno Poloniæ prorsus eliminentur. Nam si ex Aula Regia tantùm, aut ex aliquibus Ciuitatibus pellantur, siue etiam quocunq; modo in ordinem redigantur, in

Mona-

Monasteria concludantur &c. Reipublicæ corpus integræ sanitati nunquam tutò poterit restitui. Dum enim ignominiam inultam Iesuitæ nunquam sinent, recrudescent protinus Reipublicæ vulnera, quando isti socii, quacunque oblata occasione, ad pristinas Reipublicæ turbandæ Artes & clades, tanquam ad professionis suæ vnicum & genuinum scopum, astutè recurrent.

Vestrum itaque est, Proceres, occasionem præsentem non negligere; Deus & bona caussa contra hos Socios pro vobis militant: Patriæ calamitas à vobis remedia suo iure postulat: Regia dignitas consilium & auxilium expetit; Senatus authoritas opem requirit; Cleri conditio subsidium rogat; Nobilitatis status, restitutionem in integrum vrget: oppreßio denique Plebis, viduarum, pupillorum, vestrum implorat Patrocinium. Vos modò, generosa pectora, forti Constantia, sine mora, remedium adhibete, egregium munus suscipite.

Hoc vt feliciter ad DEI *gloriam, Reipublicæ salutem, & vestri nominis immortalem laudem perficiatis, etiam atque etiam opto.*

CON-

CONSILIVM

De recuperanda & in posterum stabilienda pace Regni Poloniæ,

In quo demonstratur,

Pacem nec constitui, nec stabiliri posse, quamdiu Iesuitæ in Polonia maneant.

Ad Illustres Regni Proceres

Ex correcto & recognito Polonico in Latinum conuersum.

DE Diogene illo Cynico Græca historia narrat, eum, cum aliquando Athenienses videret in publico periculo sollicitè concursare, bellumq; pro patriæ defensione, non citra animorum perturbationem moliri, ne in publica illa sollicitudine solus nihil ageret, cum armis tractandis per senectutem etiam minus habilis esset, dolium, in quo ex instituti sui more habitare consueuerat, sursum deorsum voluere cœpisse. Hoc factum, vt insolens, cùm varij variè interpretarentur, prudentiores iudicabant, virum acutissimum hac ratione docere voluisse, in publico patriæ periculo nullum ingenuum ciuem otiosum aut securum esse oportere, cùm potius singuli ita se comparare debeant, vt si opere non possint, gestibus saltem, aut quacunq; re liceret, suum in patriam propensum affectum, iuuandæq; reipublicæ studium declararent.

Quod saluberrimi præcepti exemplum vtinam hodiè populares nostri sibi imitandum proponerent: non quidem in eum finem, vt sua concursatione exorientes tumultus augeant, oleoq; ardenti

frigidam suffundant, sed vt pro sua potiùs quisq; virili annitatur, quò præsens patriæ incendium, cuius gliscentes fauillæ iam nimis diu & satis oscitanter neglectæ sunt, latissimè iam vagans restinguatur, pacatisq; animis reipublicæ tandem firma & solida pax restituatur.

Neque sanè dubito, quin talium vbiq; plurimi sint, qui reipublicæ, nec hîc, nec alibi defuturi essent, si tantùm haberent, qui in tanta rerum & animorum dissidentium confusione fideliter indicaret, quid facto potissimùm opus esset. Ego igitur, qui corpore hactenus, per Dei voluntatem, quàm minimùm valeo, vt ea saltem mei parte, quæ adhuc mediocriter viget, reipublicæ præstò sim, huncipsum laborem in me recipere decreui, non quòd ad id ego omnium maximè idoneus sim, sed quòd aliud in præsentia efficacius auxilium patriæ præstare nequeam.

Itaque hoc scripto demonstrare conabor, quæ in hoc publico incendio potissima & omnium periculosissima flammæ vorantis materia sit, & qua ratione illa igni depascenti subtrahi, sedatisq; animis factionum dissidentium æstus imminui & paullatim extingui possit: nec video, quibus in rebus quòue consilio ciuis bonus hoc tempore operam, cogitationésue suas salubriùs & vtiliùs consumere queat.

In hac autem commentatione vos potissimùm Illustrissimi proceres, compellare decreui, & hoc iterum non propterea, quòd in argumento, tam arduo, tam difficili, tantæq; insuper inuidiæ exposito, aliquid vestro iudicio dignum me afferre posse confidam: sed quòd ad eundem animi discursum vos vestrum officium (dummodò in eodem reipublicæ benè consulere volueritis) reuocare, omniumq; bonorum & publicæ tranquillitatis studiosorum ciuium desideria earundem rerum seriam curam vobis imponere videantur. Plenus autem spei sum, futurum, vt si fortè non omnia mea vobis probauero, aliquid saltem ex hoc quisquiliarum aceruo granorum colligatis: aut si ne hoc quidem assequi potuero, vos saltem ex errore meo meliorum saniorumq; consiliorum occasionem arripiatis. Vtcunq; autem res cadet, mihi sufficiet, si vel inane dolium versando reipublicæ in rebus tam arctis, si non operam, affectum saltem meum probem & testatum faciam.

Hîc

Hîc autem si ordine velim procedere, necessariò aliquid primùm de ipso morbo, quo respubl. nostra laborat: deinde de eius caussis erit dicendum. In harum enim rerum diligenti inuestigatione certaq; cognitione eruditiores medici primum ad restituendam sanitatem gradum non abs re constituunt.

Et quod ad morbum attinet, res subtili inquisitione minimè indiget sub hoc vtique rerum statu: maioris tamen perspicuitatis gratiâ, mali nostri publici vniuersum complexum ad tria capita refero. Sub quorum primo comprehendo periculosam illam diffidentiam, quæ inter subditos huius regni & supremum nostrum magistratum intercedit. Secundum in illo dissidio agnosco, quod inter Status, quos vocant, hoc est, inter ordinem Ecclesiasticum & Ciuilem siue Equestrem in hoc regno gliscit, patriæq; iam diu insigne aliquod malum minitatur. Sub Tertio illud inusitatum inter Polonos factionum studium intelligo, quo ordo equestris hoc præcipuè tempore ita grauiter laborat, vt ad efficax aliquod remedium malis publicis adhibendum nec virium satis, nec sufficientem authoritatem habeat. Quæ patriæ nostræ pestis à paucis annis eousq; excreuit, vt extincto illo fraternitatis Polonicæ candore, alter alteri suspectus esse incipiat, vt nulla ferè amplius sermonis, nedum consiliorum libera nobis communicatio reliqua sit. Hæc, inquam, tria nos premunt; Poloniæq;, nî rebus aliter prospiciatur, grauissimè minitantur: vt quorum ea sit ratio, vt vnumquodq; illorum ad maximum Imperium euertendum sufficere queat. Quod omen Deus Opt. Max. prohibeat & à nobis clementer auertat.

Ad caussas verò istorum malorum quod attinet, res in hoc publico dissidio, & mutua partium incusatione, infinitis ferè difficultatibus implicata est, vt vix quisquam eam ex suo sensu decidere ausit aut definire.

Quid enim hodiè maiori contentionis nixu inter nos agitur, quàm vt alter in alterum turbatæ reipublicæ culpam transferre conetur? Vbi tamen in eo ferè vtrobiq; peccatur, vt morbus ipse, morbiue symptomata, sæpius pro eiusdem caussis arripiantur: vt quia, verbi gratia, præcipuam doloris vim circa caput sentimus, ibidem etiam principalem morbi caussam latere existimemus, vt hoc

ſolum & immediatè velimus curari: non aliter, quàm ſi in ardente Cauſone aliquis ægroto cranium perforare, æſtuanteſq; vapores emittere vellet: cùm, ſi peritis medicis auſcultaremus, de fonte nobis potiùs cogitandum eſſet, ex quo hæc iniurioſa capitis grauedo ſcaturit & exhalat.

Nec in eo parum ſitum eſt, cùm hic error, qui in cauſſarum indagatione committitur, in omnibus diſciplinis latiſsimè graſſetur: in Politia tamen rerumq; Politicarum tractatione longè frequentiſsimè occurrit, & ibidem multò, quàm alibi, periculoſior eſt, vt qui in publicam ſalutem peccet, & ſic omnium & ſingulorum res & fortunas ſecum inuoluat.

Mihi ergo ne idem accidat, omiſsis illis diſsidentium mutuis accuſationibus, quarum ego iudex eſſe nec poſſum nec volo, generales cauſſas perſequar, indicaturus, qua ratione illæ ſi non tolli, minui ſaltem & ſenſim mitigari queant.

Cauſſæ verò vel internæ ſunt vel externæ. Internas voco, quæ ex ipſius corporis Polonici fatali Cachexia exortæ ſunt, proximamq; morbo materiam ſuppeditant, eundemq; fouent & nutriunt. Externæ mihi ſunt, quæ materiam hanc peccantem & ad morboſum habitum diſpoſitam mouent, proritant, impellunt & exaſperant.

Ad internas, præter illa priuatorum peccata, quibus DEI ira quaſi ordinariò prouocatur, quæ propterea omnibus à condito mundo rebuſpubl. exitium attulerunt, & quibus Polonia noſtra hodiè, proh dolor, ſaltem non obruitur, in ſpecie refero Religionis illud diſsidium & factiones, quarum occaſionem turbulenta & ambitioſa ingenia ex eodem ſine cauſſa arripiunt; Rei inſuper familiaris auarum ſtudium, publicæ verò ſupinum neglectum; Veritatis odium & periculum, hypocriſeos verò aſſentatoriæq; adulationis ſtudium & fauorem; Iuſtitiæ deprauationem, Iniuſtitiæ verò palliationem; Fortitudinem domi militiæq; in odium & ſuſpicionem vocatam, degenerem verò ignauiam cultam & promotam; Ambitionem ſine meritis, inuidiam ſine virtutis æmulatione; innocentes oppreſſos, ſceleratos defenſos; imbellem innocentiam periclitantem, præferocem opibuſq; ſuffultam improbitatem palàm dominantem; Virtutem denique neglectam, Hypocriſin præmijs ornatam.

Hæc

Hæc & his ſimilia alia corporis Polonici vitia ſeu potiùs fœda vlcera ſunt; talia nimirum, quibus Regna circa ſuas fatales periodos vtplurimum obnoxia eſſe conſueuerunt. Ad quæ ſananda nobis certiore, quàm qualem humana ratio præſtare queat, ope opus videtur. Quæ enim tam longo temporis tractu inter Nos ita inualuerunt, vt actis altiſsimis radicibus in ipſius Regni habitum iam quaſi conuerſa ſint, non video qua ratione hoc exulcerato ſeculo paullò acriùs citra ægroti periculum moueri queant, nedum vt illa ſubitò eradicari poſſe confidam, vt multorum hauddubiè inconſulta impatientia optat. Ideoq; circa hoc genus cauſſarum ita nobis procedendum exiſtimo, vt cohibitis priùs & amotis externis & irritantibus cauſsis illarum feruidiorem motum primùm vtcunq; ſiſtamus, & deinceps per temporis ſucceſſum (quo huiuſmodi Chronici morbi magis quàm medicamentorum violenta operatione, curantur) materiam hanc peccantem ſubtractione, alteratione, digeſtione &c. edomemus: ſic ſtatuentes, nobis in magna felicitatis parte reponendum, ſi Dei beneficio contingat, vt nauim noſtram ſub hac fatali Europę tempeſtate ita gubernare poſsimus, vt ſcopulos, ad quos plæriq; hactenus ante oculos noſtros grauiſſimè impegerunt, vel cum iactura aliqua euitemus.

Ad has ergo externas cauſſas quod attinet, quarum remotioni primam curæ noſtræ partem impendi velim, ſunt hæ illæ ipſæ, quæ hactenus in reliquis Europæ Regnis eandem tempeſtatem excitârunt, cuius fremitum iam ab aliquot annis intra nos non citra horrorem animaduertimus: Quarum impetus à meridie & occidente per contigua Europæ progrediens, noſtrum hunc Septentrionalem ortum ceu turbo quidam videtur inuadere. Vbi tamen Dei Opt. Max. clementia Poloniæ hoc præ alijs Europæ nationibus benigniſsimè indulſit, vt peſtis hæc nos ſerò tentare cœperit, licet cauſſæ inteſtinæ in Polonia à multis annis non minùs, quàm alibi, conſpicuæ fuerint. Quod ingens Dei beneficium inter alia hoc nobis (dummodò eo vti voluerimus) præſtare poterit, vt reliquorum Europæorum ſub eodem morbo Symptomata, caſus & pericula, cum medicamentorum adhibitorum in vtramq; partem euentu, obſeruare & in rem noſtram conuertere, & ſic alieno periculo cautiores fieri poſsimus.

Ad quam felicitatem nobis tantò facilior aditus hoc tempore patet, quòd tumultus illi non solùm in recenti memoria & multis nostrûm ex oculari inspectione noti sint: sed quòd plurimi insuper præstantes viri, in singulis ferè nationibus, sub ipsum morbi æstum de exorientium turbarum remedio sua nobis eruditissima consilia, adeoq; etiam acres interdum disceptationes publicè communicârunt. Quorum veritatem sicut & errores, euentus ipsemet, ad nostrum percommodum vsum, vtrobiq; detexit.

Horum igitur ductum si sequamur, apparebit, omnes ferè Europæ Regnorumque Europæorum ab annis sexaginta & circiter, turbas & seditiones (quarum nonnullæ valdè cruentæ & periculosæ fuerant, & adhuc sunt) primam suam & generalem Originem ex præsenti Religionis dissidio traxisse: sed ita, vt prudentissimus quisq; non tam ipsum dissidium, quàm eiusdem componendi modum accuset, qui nempe sua vitiositate hæc periculosa morbi Symptomata caussatus sit.

Instituta ante annos 50. Cleri & Catholicæ religionis reformatio primā Europæis tumultibus occasionem præbuit.

Hoc ipsum verò, vt ij, qui in his rebus minùs exercitati sunt, meliùs intelligant, rem sic explico: certum est, Pontifices Maximos cum Consistorio suo hactenus vehementer annixos esse, vt Imperium ecclesiasticum, per superioris seculi motus haud leuiter concussum, in pristinum statum restituerent, suamq; per Europam iurisdictionem plenè recuperarent. Opus profectò magnum & arduum, cui melioribus mundi temporibus peculiari fortunæ afflatu opus fuisset: in quo etiam tantus hodiè & tam contentiosus animorum obfirmatorum nixus & renixus deprehenditur, qui vel ipsius Alexandri victoriosum genium frangere & debilitare queat. Illi tamen hoc ita aggressi sunt, vt primùm Religionis & ordinis Ecclesiastici quandam reformationem publicè conceperint, cuius tamen capita non aliò, quàm ad hunc, quem diximus, scopum, directa erant. Hanc deinceps Regibus & Nationibus, à quibus tale quiddam diu flagitatum nouerant, obtulerunt, in eum finem, vt ipsorum studio per vniuersum orbem Christianum executioni mandaretur.

Cumq; eius rei difficultatem ipsimet probè perspicerent, vt quibus negotij totius vitia optimè nota erant, inita sunt varia consilia, quæ cum paucissimis, ex ipso etiam Principum ordine communica-

municata sunt, per quæ obiectas difficultates superari remq; promoueri posse sperabant.

Ad quorum executionem delecti sunt & operosè instructi certi homines, qui Regibus apud subiectam multitudinem glaciem frangerent, factiq; non admodum grati inuidiam, quantum verbis possent, lenirent.

His ad eum modum comparatis, res omninò successura putabatur, quam propterea ij, quibus prouincia hæc extra ordinem, vti dictum est, asignata erat, magno animo aggresi sunt, eamq; fideliter vrserunt: euentus tamen longè alius, quàm qui sperabatur, secutus est; siquidem conatus iste tam grauiter vbique impegit, vt turbas longè maximas pepererit, egoque affirmare ausim, omnes ferè Europæ intestinos tumultus, quibus ab annis fermè quinquaginta, ex quo nimirum prædictæ reformationis negotium seriò vrgeri cœpit, quatitur, ex hac Capitali scaturigine promanasse.

Quod ipsum tamen ea conditione affirmo, vt non tam ipsam reformationem (quamuis ne hæc quidem omnem, vt iam dictum est, fraudis suspicionem potuerit effugere) quam eiusdem exequendæ MODVM accusem. Hic enim cùm peruersè institueretur, illas turbas excitauit, quarum dubius euentus adhuc orbem Christianum suspensum & sollicitum tenet. *Modus institutæ reformationis vitiosus.*

Hoc autem si quis fortè apertiùs sibi declarari cupiat, sic habeto. Institutæ reformationis hoc præcipuum vitium erat: nouerant illi, omnium mortalium votis id vnicè expeti, vt vetus disciplina Ecclesiastica restitueretur, cleri mores seriò emendarentur, abusus nimiùm conspicui abrogarentur. Expetebat autem hoc non tam promiscuum vulgus, quàm ex Procerum numero prudentisimus quisq;, qui & Ecclesiæ consultum volebant, suorumq; populorum gemitus miserabantur. Sed si verum fateri volumus, caput hoc admodum perfunctoriè ab Vniuerso clero tractatum fuit, vt qui hoc potiùs operam dederint, vt suam authoritatem tuerentur, statumq; secularem sibi denuo subijcerent, itaq; constringerent, vt suæ libertati contra eundem in perpetuum cauerent.

Ex hoc ergo capitali errore hæc deinceps executionis vitia 1.
prodierunt: Primùm vtrunque Imperij Europæi brachium simul *Eius Vitia.*

aggresi

aggreſsi ſunt, ſtatum nempe Eccleſiaſticum, & ciuilem, ſiue Religionem & Politiam, cum alterutrum iſtorum plus ſatis negotij eis exhibiturum fuiſſet.

2. Deinde hos ipſos ſtatus, inter ſe ita commiſerunt, vt inuerſo naturæ ordine Eccleſiaſtico agentis, Politico verò patientis partes aſsignarint.

3. Coacti deniq; ſunt ad harum rerum praxin medijs in Eccleſia parùm legitimis, adeoq; violentis & valdè odioſis vti.

Primum executionis medium. Et hæc quidem media duplicia fuerunt: Primùm, hoc præcipuè operam dederunt; vt Regum & Principum ſtudia ſibi in hoc opere conciliarent, ſeq; eorum authoritate munirent: quo ipſo nil opus fuiſſet, ſi in inſtitutæ reformationis negotio recto pede inceſsiſſent. Ipſi tamen vt hæc Regum præſidia faciliùs conſequerentur, Eoſdem communi cuidam fœderi illigarunt, per quod ad prædictorum conſiliorum executionem coniunctim obligabantur. Et hinc eſt illa noſtri temporis famata Principum Catholicorum VNIO, res per ſe ſpecioſa, ſed quæ Europæ multarum calamitatum cauſſa extitit.

Secundum. Deinde ad perſuadendum vulgus huiuſmodi Oratores delegerunt, quorum opera in tractando religionis negotio, legitima quidem fuiſſet, nec ſuo fortaſsis ſucceſſu caruiſſet, ſi intra vocationis, quam verbis præ ſe ferebant, limites ſubſtitiſſent: ſed illi his tranſgreſsis, in id ferè principaliter incubuerunt, vt Politias ſtatumq; Politicum ad ſuum propoſitum conformarent: & hoc quidem ea ratione, vt auſu periculoſiſsimo, publicas leges, & Nationum ſtatuta, per quæ nempe propoſitum ſuum impediri ſentiebant, heîc tollere, ibi mutare, adeoq; ad ſuum ſenſum omnia vbiq; reformare conarentur.

Horum verò vtrunq; quantæ inuidiæ expoſitum fuerit, & quantæ per conſequens ei difficultates fuerint obiectæ, cordatiores facilè intelligunt.

Primi medij incommoda. Vnio Regũ Europæorũ ſemper difficilis. Quantum enim ad tentatam Regum & Principum *Vnionem* attinet, illa per ſe hactenus intra Europam adeò ſemper difficilis fuit, vt quamuis multi & magni nominis Pontifices in eadem laborarint, ad exitum tamen eam vix vnquam potuerint perducere: tum inquam, quando vnanimi religionis ſenſu omnes duceban-

tur:

tur: qui ergo ſucceſſus in hac publica opinionum animorum & deſignationum diſcrepantia ſperari potuit? Deinde hic ipſe in Regibus demerendis & vniendis ambitus negotium ipſum, quod aliàs plerisq; non multùm placebat, magis ſuſpectum fecit, partem aduerſam obfirmauit, eidemq; ſui muniendi & defendendi neceſsitatem impoſuit: idq; tantò magis, quòd hæc *Vnio* plerisq; ad vnius ſaltem familiæ priuatum commodum & vtilitatem inſtituta videbatur, vt eidem videlicet iam diu affectatum Europæ dominium confirmaretur. Quod ipſum quantum inſtitutæ reformationi profuerit, euentus in hunc vſq; diem teſtatur.

Reliquis Regibus ſuſpecta.

Tertiò Regum illa Vnio, & ſi interdum aliquouſq; proceſsit, ad expectatam tamen rei promotionem tantum momenti non attulit, quantum pleriq; ſibi polliciti fuerant, idque ex duplici cauſſa. Quòd primùm Reges & Principes vniti, vtut ſe interdum ſanctiſsimis vltrò obtulerint, negotium tamen tàm ſincerè nunquam tractarint, vt non multoties, ſub eiuſdem prætextu ſua priuata commoda quæritarent. Sicut in Gallijs non ita dudum manifeſtò licuit perſpicere, quando Rex quidam potentiſsimus partium Catholicarum patrocinium contra hæreticos ſuſceperat; ibi tandem apparuit, Eum ſub hoc obtentu, Galliæ Regnum affectare. Cum enim animaduerteret, plærosque Factionis illius Proceres ab Imperio Hiſpanico abhorrere, oblitus perſonæ, quam agendam ſuſceperat, manus auxiliatrices retrahere cœpit, vt qui videret ſe ſpe ſua fruſtratum. Id quod Sixtus V. tempeſtiuè ſubodoratus eſt, & ægerrimè tulit. Talia autem plura exempla adduci poſſent ex ijs etiam, quæ nos propiùs tangunt. Ex his ergo perſonatis & malefidis Principum molitionibus in Vnionis iſtius agro perpetuarum ſimultatum copioſiſsima ſeges indiès ſuccreſcit, per quas prædictum reformationis opus magis turbatur, quàm promouetur.

Ad reformationis executionem parum tulit.

Hiſpani ſub prætextu Religionis Monarchiã ſuam amplificare conantur.

Quodq; deinceps illorundem Regum conatus, vbi etiam rem ſeriò egerunt, per illam Edictorum ſeueritatem idem negotium ſubditis magis inuiſum fecerunt, quàm commendarunt.

Seuerorum Edictorum in cauſſa Religionis effectus.

Cum enim omnis coactio menti humanæ grauis & moleſta ſit, tum illa inprimis animum liberaliter inſtitutum enormiter lædit & ſauciat, qua ei Religionis nomine vis affertur: quòd tacitus quidam naturæ inſtinctus hoc omnes doceat, Dei cultum liberi &

ſpontanei motus eſſe debere. Hoc animaduertentes nonnulli ex Regum Vnitorum ordine hanc violentæ coactionis inuidiam declinare voluerunt, dum ab odioſa illa Edictorum acerbitate abſtinent, & ſubditis Religionis arbitrium ad ſpeciem liberum relinquunt. Interim tamen, vt, Vnionis legibus ſatisfaciant, rem diſsimulanter & quaſi per cuniculos aggrediuntur: dum eos, quos religionis nomine oderunt, vel ab honoribus Reiq; publicæ beneficijs excludunt, vel in iure dicundo alijſuè artibus eos variè premunt & impediunt, vt tandem aduerſitatibus fracti ſeipſos eis dedere & conformare cogantur.

Artes Aulicæ noſtrorum temporum.

Et hoc noſtris temporibus præcipuum artificium eſt ijs in locis, in quibus Hiſpanica Inquiſitio per Regnorum Leges, Nationumq; libertatem locum habere nequit, cui à nonnullis multum tribuitur: fieriq; poteſt, vt non pauci hac ratione ſubigantur. Si quis tamen rem penitius conſideret, facilè deprehendet, has ſubtiles artes, vt vulgò æſtimantur, publico ſtatui plus nocere, quàm apertam Tyrannidem.

Earundem fructus.

Ipſam etenim Religionem, quam hactenus vt falſam abominati ſunt, nunc etiam de tyrannica iniuſtitia ſuſpectam habere incipiunt. Deinde Magiſtratus authoritatem, vnicum illud throni fulcimentum, conuellunt & ſubuertunt, ipſamq; Principis perſonam ſubditis exoſam reddunt. Illarum denique iniuria longè altiùs, quàm vis aperta, penetrat, & generoſis præcipuè mentibus inextinguibilem offenſæ memoriam imprimit & inurit. Et hi animorum affectus, vtut fortè ad tempus, ceu ignis ſub cineribus, latitant, quàmprimùm externa qualiſcunq; ventilatio accedit, tantò periculoſiùs erumpunt.

Adhuc ergo hoc primum Executionis Medium ad excitandas turbas, quàm ad promouendam reformationem, multò efficacius fuit.

Secundi Medij effectus.

Nec res in reliquorum impedimentorum remotione meliùs ſucceſſerunt: cum enim his de inſtituenda reformatione Decretis & Statutis non ſolùm diuerſus Religionis ſenſus per Europam iam latiſsimè ſparſus, ſed etiam Nationum populorumq; Priuilegia, Libertates; Leges & mores obſtarent, illa citra tumultum ne moueri quidem potuerunt.

Quæ

Quæ omnia tamen à præferuidis Ingenijs, quibus hæc prouincia non citra delectum demandata erat, non solum mota, sed acriter commota & vehementer perturbata esse constat.

Hinc ergo turbæ, hinc simultates, hinc odia, hinc diffidentia cum reliquis fatalibus Furijs, quibus nostro tempore Status Politicus infestatur, ceu ex Orco proruperunt. Id quod omnes Europæ nationes, quas hæc pestis peruasit, sonora voce profitentur, hanc & non aliam calamitatum suarum caussam omnes, qui citra Morbi affectionem iudicant, summo consensu allegant. *Instituta reformationis effectus in ipsis Regnis.*

Videamus nunc ergo, num malorum nostrorum Polonicorum eadem ratio sit, & num hæc etiam externa caussa ad eorundem inflammationem & exasperationem aliquid contulerit? Id quod multis fortè difficulter persuadebitur: ego tamen illud constanter assero, & assertionis meæ has probationes affero: de eo primùm satis constat, Clerum Poloniæ & ipsum tandem vehementer vrgeri cœpisse, vt ad eorundem consiliorum communionem semet aggregaret. Ad quod ipsum tamen præcipui istius ordinis ab initio valdè lenti fuerunt: non quod rem improbarent, sed quod Executionis difficultate deterrerentur. Tandem tamen exterorum instinctus præualuit, & tergiuersantes impulit. Ideoq; in hunc finem non ita dudum Synodus illa Petricouienfis celebrata fuit: cuius Decreta plerisq; vel eo saltem nomine suspecta fuerunt, quòd tanto studio occultata fuerunt & suppressa. *Eadem reformatio quomodo in Polonia instituta. Synodus Petricouien.*

Sed nec illud cuiquam dubium esse potest, ab hisipsis Primo loco diligenter curatum fuisse, vt Reges Poloniæ prædictæ Vnioni implicarent, eosdemq; cum Domo præcipuè Austriaca quam arctissimè coniungerent. Ex qua nimirum coniunctione maximum ad prædictæ Executionis promotionem emolumentum sperabatur: vt quæ ad subditos in Vtroq; Regno magis perterrendos, & in ordinem redigendos, permultum factura videbatur, quantumuis consilijs illis longè aliud pallium obduceretur.

Harum verò rerum praxis post infelicem illam expeditionem in Sueciam quasi renouata fuit, vbi nonnullorum studia valdè conspicua extiterunt: eorum videlicet quos præter iam dictas caussas Sueciæ amissæ inuidia vrgebat, qua nempe ordinem suum premi sentiebant: qui propterea omnem lapidem mouerunt, vt *Suecia amissa.*

 nouis

nouis Regum amicitijs accepti infortunij sensum nonnihil mitigarent.

Austriacorum studia Polonis suspecta. Veruntamen vt inter vicina Regna ferè fieri consueuit, Austriacorum studia nostratibus semper suspecta fuerunt, ideoque pro hac etiam vice ad Agentium illorum consilia promouenda tantum non contulerunt, quantum speratum fuerat: Cùm præsertim, præter vulgares illas Regum Regnorumque vicinorum simultates & dissensiones, alia non pauca quotidiè, intra & extra Regnum, inciderent, quæ huiusmodi coniunctionem Reipublicæ nostræ minus commodam, ipsis etiam Ciuibus formidabilem efficerent. Per illius itaq; attentationẽ nil ampliùs effectum fuit, quàm vt inueteratæ suspiciones periculosiùs recrudescerent. Quod ipsum etsi ijs, qui hæc agitabant, non ignotum esset, se tamen adeò non passi sunt impediri, publicamq; indignationem tam securè contempserunt, vt tantò potiùs confidentiùs in proposito perrexerint, illudque tandem per fas & nefas ad exitum conati sint perducere.

Hic ergo molitionum iam antea suspectarum tam importunus feruor eum tandem euentum sortitus est, vt offensa Nobilitate, Regnum factionibus mutuaque diffidentia impletum sit, & Rex ipsemet subditis, subditi verò Regi suspecti esse cœperint, Quam constat proximam & compendiosissimam esse ad Reipublicæ dismembrationem & interitum viam. Et hac ratione prius illud instituitæ reformationis turbatæq; Europæ Medium satis inter nos, vt opinor, efficaciter operatum est.

Cœpta reformationis executio citra libertatis Polonicæ præiudicium perfici nequit. Ad alterum quod attinet, *Popularium nempe obstaculorum remotionem*, nemo Polonus opinor negabit, in hoc Regno maiora & robustiora eis obiecta fuisse & adhuc obijci, quàm in vlla Europæa Natione. Consilia enim ista inter nos, vt quidem nunc res sunt, ad effectum, quem ipsi cupiunt, perduci nullo modo possunt. nisi aut Hispanica Inquisitio, aut quiddam, quod inquisitioni illi æquiualeat, in Regnum introducatur: per quod nempe Polonia, ad Hispanismi aliquam similaritatem redacta, prædictæ Executioni opportuna reddatur. Patria verò nostra ea corporum animorumq; libertate hactenus vtitur, qualem fortissimæ nationes, & generosissimus quisq; sibi optare poterit: qua libertatis fiducia ex ipsis etiam

etiam Catholicis cordatiores enormes illos abusus & vanas superstitiones, quas in Religionem ipsam eiusdemq; exercitium irrepsisse constat, magna multoties libertate, coram ipsis etiam Prælatis, reprehendunt & detestantur: & quis inter nos rei istius potestatem sibi eripi patietur, quæ tamen coram Inquisitionis Hispanicæ tribunali ignis supplicio adiudicaretur? Nemo ergo est, qui non videat, quàm duro collisu hæc inter se committi oportuerit? Postquam inprimis libertas illa, quatenus animum præcipuè & conscientias concernit, non ita dudum per *Confœderationem publicam*, contra eadem tentamenta denuò & quasi extra ordinem confirmata est?

Confœderatio publica Executionis istius obex.

Quamuis autem Hispanicam Inquisitionem nemo nobis hactenus apertè & ex professo conatus sit obtrudere, quod intelligerent, hoc citra periculum vix posse tentari: via tamen ad huiusmodi aliquam imperiosam coërcitionem varijs artibus paulatim & quasi per cuniculos parata est, sensimq; muniri cœpit: eo nimirùm adhibito artificio, quo rem citra omnem mutationis sensum Practicantes illi se consecuturos sperabant: tam cautè tamen & circumspectè incedere non potuerunt, quodq; agebant, tam probè nunquam potuit dissimulari, vt rerum è diametro pugnantium tamque asperarum vel leuis agitatio non ingentem flammam vel tandem eliceret. De quo ipso, proh dolor, oculorum aspectus hodiè testatur.

Hæc à me omnia verissimè dici omnes norunt, qui rerum nostratium aliquam saltem notitiam habent, quiq; actiones nostras Comitiales ab aliquot annis vel è longè spectárunt: nec diffitentur hoc ij, qui in partibus adhuc inter nos eatenus hærent, vt & prædictæ Reformationis negotium cupidè amplectantur, eiusque studiosæ, per legitima tamen media, executioni faueant.

Adhuc ergo perspicuum est, Reipublicæ nostræ intestina mala non solùm per easdem externas caussas proritari & exasperari, per quas reliqua hactenus Europa turbata fuit, sed eundem etiam in ijs Operationis modum teneri.

In his igitur tollendis & amouendis opera nostra occupari debet, siquidem ordine procedere, Matrique nostræ cum aliqua spe salutis opem ferre voluerimus.

 Scio

Scio tamen, quid heîc nonnullus dicturus sit: me hæc differendo Morbum ferè incurabilem ostendere, cùm harum rerum studio, Consiliorumq; istorum exoticorum effectuosæ executioni potissima pars Regni implicata sit, vt curatio heîc etiam ipso morbo difficilior, adde & periculosior, futura videatur.

Non est de nihilo, quod dicitur, nouiq; egomet, multos prudentes viros in eo consentire: existimo tamen, omnia opinione nostra faciliora fore, si primum inter res ipsas, earundemq; abusum; deinde inter personas, à quibus illæ tractantur, accuratè distinguatur.

Austriacæ Familiæ affinitas Poloniæ per se nec inutilis nec inhonesta.

Ad res quód attinet, Nec Austriacæ Familiæ, inter Europæas haud dubiè eminentissimæ, nec quorumcunq; exterorum Regum & Principum cum nostris Regibus legitima & sincera coniunctio per se, vel nos, vel Remp. nostram in minimo lædit: sed eidem potius præsidio & ornamento futura esset, si à Practicantibus illis ad sinistras suspiciones non tam densæ nostratibus occasiones præberentur.

Eadem ferè ratio est alterius Medij: ab huius enim executione nihil turbarum nobis esset metuendum, si modò ita institueretur, vt intra legitimum docendi modum consisteret, missisq; alijs parum conuenientibus practicis euentus DEO committeretur. Non igitur res istæ per se, sed earum abusus & peruersus tractationis modus Remp. lædunt & has in præsentia difficultates nobis pariunt.

Hæc itaq; in rebus differentia si obseruetur, inter ipsas etiam personas manifestam nobis discriminis rationem ostendet: vt nempè non omnes eos, qui prædictis rebus manum quocunque modo admouent, pro veris calamitatis nostræ autoribus habeamus, vt curationis de qua dicturus sum, actum ad omnes & singulos extendi oporteat, sed eos tantùm, qui prædicti abusus præcipuam culpam sustinent.

Si quærat aliquis: quinam illi sint. Respondeo, si eorum, quos in hisce rebus periculosa experientia longo tempore erudijt, consentiens testimonium admittere; si prætereà ipsam rerum euidentem inter nos experientiam in consilium adhibere volumus,

Iesuitarum conatus &

IESVITAS & INSTITVTVM IESVITICVM pro ijs nobis necessariò

cessariò esse habendos. Hi, inquam, sicut in supradictorum Consiliorum executoriali praxi primas sibi vbiq; arrogant: ita alteram eius & quidem odiosissimam & nostrarum imprimis rerum respectu perniciosissimam partem extra ordinem sibi suæq; actualitati desumpserunt: in qua agitanda ita hactenus versantur, vt quod in hisce consilijs pessimum est, præcipuè arripiant, arreptum peius efficiant, & vim eius malitiosam per subiectum Reipublicæ corpus, quo iure quáue iniuria, quasi transadigere, & per partes applicare conentur. Vt sic prorsus sentiam, si vni Iesuitæ non essent, Nos aut turbas eiusmodi nullas habituros, aut si quæ fortè, vt ex consensu reliquarum partium Europæarum obortæ fuissent, Eas multò faciliùs minoriq; periculo consopiri posse. Hoc quidem certum est, Poloniam ab ijs vltimo loco inter Europæas nationes commotam esse. *Fermor omnium intra Regnum excessuum primaria caussa.*

Hoc verò cùm illudipsum sit, de quo inter nos quàm maximè 1. controuertitur, iudicij huius rationes aliquantò accuratius erunt demonstrandæ. Quod ita faciam, vt primum ad oculum demonstrem; Instituti Iesuitici, si per se consideretur, Eam esse rationem, vt liberæ Reipublicæ valdè inimicum & aduersum; Libertati verò Polonicæ inprimis formidandum sit. Deinde, viuis aliquot 2. exemplis ostendam, quàm periculosè secta hæc statum Politicum hincinde per Europam turbarit. Tertiò, obiectiones non nullas 3. diluam, quæ sententiæ huic à contrarium sentientibus ferè opponuntur. *Consilij huius præcipua demonstrationis Capita.*

Quæ tria si à me demonstrata fuerint, quartum, quod princi- 4. paliter intendo, sua sponte sequetur: ijs nempe, qui Remp. restitutam & saluam cupiunt, præcipuè operam dandam esse, *Vt Iesuitæ & Iesuitismus extra Regnum eliminentur*, quò sic remotis hisce curationis interturbatoribus, certa aliqua & firma pacis stabiliendæ ratio iniri queat.

Ad primum quod attinet, in eo tria considero: *Ipsam Ordinis Politiam: Finem, ad quem tendit: Operationes siue praxin, per quæ hunc finem conatur assequi.*

Politiam si penitius introspiciemus, fatendum nobis erit, Eam in hoc genere accuratè dispositam, firmissimam & ad res magnas gerendas aptissimam esse: vt parti, cui se vel applicauerit, per- *Instituti Iesuitici Politia.*

multum

multum prodesse, vel opposuerit, nocere queat. Generalis dispositio purè Monarchica est, forma nimirum Politiæ ad mouendum & agendum commodissima. Monarchicæ dispositionis nerui in hisce rebus consistunt: capite primùm vno regitur: deinde hoc ipsum caput vni etiam loco, Vrbi nimirum Romæ, alligatum est, vbi perpetuò residere cogitur. Quæ res sectæ huic inter alia hoc præstat, vt vno certo & vniformi aëre perpetuò regatur & vegetetur, Romani nempe Consistorij afflatu, prout is ab ijs, qui Romæ omnia possunt, afficitur. Disciplinæ deniq; forma institutum hoc longè *Disciplina ratio.* arctissima vtitur, qua Ciues eius ad cœcam obœdientiam (sic ipsimet loqui consueuerunt.) astringuntur, in tantum, vt Minoribus in nulla Maiorum vel absurdissima imperia inquirere liceat: nedum, vt aliquis ea detrectare ausit.

Hæc ergo formam illam Monarchicam constituunt, constitutam firmissimè constringunt, adeoq; faciunt, vt actiones eius efficacissimæ sint, & ceu cuneus quidam penetrent. Illa verò hanc compactionis soliditatem adiuuant, eandemq; solidiorem efficiunt: Quòd primùm Communitatis huius basis perfixam illam Generalis sedem Romanæ sedi & Consistorio, vt dictum est, quasi affigitur & implantatur. Deinde, quòd eandem Hispanico Imperio similiter inserunt, dum inter septem Generales, qui sibi hucusq; si rectè memini, inuicem successerunt, neminem elegerunt, qui non vel natione vel ditione Hispanus esset, quæ res non caret mysterio.

1\. *Basis instituti Iesuitici.*

2\.

3\. Tertiò, quod ex tot diuersis Clericorum Ordinibus soli ferè Iesuitæ ab vtriusq; Fori ordinaria Iurisdictione exempti sunt: vt nullum prorsus in Nationibus, nisi sui corporis, superiorum agnoscant, qui plerunq; Italus aut Hispanus est: vt sic Ordo Iesuiticus, ab omni Iuris Polonici coërcitione solutus, inter nos liberrimè versetur, suisq; molitionibus securè incumbat.

4\. Quartò, quòd etiam in subdelegatis imperijs hactenùs diligenter cauent, ne in Nationibus Prouinciales vnquam ex Indigenis eligant, sed vel Hispanis vel Italis dignitates illas conferunt, aut saltem ijs, qui ex Anglia, Gallia &c. propter facinora aliqua profugerunt, & propter nimium Hispaniæ studium ex prædictis Nationibus proscripti sunt.

5\. *Nobilitas Polonica ad cæcam Iesuitarum obœdientiã* Seniores verò, Rectores, & his similes inter Nos rarissimè ex Nobilium ordine, sed ex plebe tantum adoptant. Quod cur fiat, coniectura

non

non eſt difficilis. Generoſa nempe Nobilitatis pectora erga Patriam ita affecta norunt, vt ſuis conſilijs & practicis ea minus commoda & opportuna ſtatuant. Interim his rebus fit, vt cùm Ieſuitiſmi venter noſtras ferè ſit, quem videlicet noſtris opibus explere & ſuffarcire cogimur: caput tamen Hiſpanico & Italico cerebro repletum habeat; ad cuius nempe ſenſum reliquum corpus mouetur. *parum idonea.* *Polonia Ieſuitiſmum nutrit, Hiſpania & Italia eodem vtuntur.*

Hæc igitur ad Monarchicum robur iterum perquàm multum faciunt, incurſus Ieſuitici impetum certiſsimè dirigunt, & ſectæ huic ad Conſiliorum ſuorum executionem inuictam planè & penetrantem conſtantiam præbent. § Porrò huic ipſi Imperij Ieſuitici formæ per ſubordinatarum dignitatum diſtinctos gradus variaſq; ſpecies egregiè contra omnes Monarchiæ incommoditates & vitia proſpectum eſt: vt, ſi ex humano ſenſu iudicetur, ei neq; à Tyrannica oppreſsione, nec ſeditioſa diſſolutione, vllum periculum ſit extimeſcendum: quod ipſum etiam prædictæ ſodalitati ad res gerendas miram corporis agilitatem conciliat.

Quarum rerum omnium illuſtre documentum nobis hiſtoria poſtremi motus Galliæ præbet, vbi compertum eſt: in illa deſperata totius Regni perturbatione, ex ſolo Ieſuitarum ordine Neminem, ac ne vnum quidem Ieſuiticum Indiuiduum fuiſſe, qui Reipublicæ partes ſecutus eſſet: cum contrà ex omnibus alijs Clericorum Ordinibus permulti Regias Reiq; publicæ partes fideliter tuerentur. Hiſpano autem hi ipſi Ieſuitæ tam pertinaciter adhæſerunt, itaq; feruidè ſtuduerunt, vt factioni eius pro anima aut potius pro corde fuerint: de quo vulgò dicunt, quod in corporis humani ſtructura ſit primum viuens, & vltimum moriens. Prædicta ſanè factio prius opprimi non potuit aut eradicari, quàm Ieſuitæ Regno exigerentur! Quod fidele & perdurans robur Inſtituto huic in tam variegata hominum colluuie nil aliud præſtat, quàm ea, quæ hactenus de Politiæ forma diximus. *Ieſuitiſmus Cor Factionis Hiſpanica in Gallia.*

Num verò hæc talia ſint, à quibus ſibi Reſp. Polona metuere debeat, ijs cogitandum relinquo, qui ſuperiori autumno artium iſtarum guſtum aliquem perceperunt. Ego interim Factionem Ieſuiticam inter nos non aliter æſtimo, quàm agilem quendam & acutum gladium, cuius lamina quidem in vaginam Polonicam recondita ſit, ſed ita, vt capulum Romana Aula & Hiſpania manibus

teneant,& sic eum ad nutum suum vibrent. Id quod Instituti huius proprius finis aliquantò clarius docebit.

Finis Instituti Iesuitici.

Hic autem & ipse quiddam singulare & ab omnibus alijs Monachorum Ordinibus diuersum habet. Omnes enim aliorum Religiosorum ordines in hunc finem vt plurimum inuenti & approbati sunt, & eò tendunt, vt popularis deuotio per eos augeatur, Religio RomanoCatholica magis splendeat, & Ordinis spiritualium pomæria dilatentur,&c.

Iesuitæ verò etsi hisce rebus & ipsi pro virili studeant, sui tamen principalis finis longè sublimiorem scopum sibi præfixum habent: qui nempe est, vt Romanæ Ecclesiæ siue Imperij Ecclesiastici collapsam authoritatem non solum recuperent, in quo studio reliquos Clericos commilitones habent: sed vt subiectum præcipuè Europæ orbem ita corrigant & reforment, vt huiusmodi insultus, quos res Romana hactenus est perpessa, in longum præcaueant: sublatis & quasi obstructis omnibus occasionibus, per quas antehac populis ad eandem oppugnandam & excutiendam aditus præbitus fuit.

Molitionũ Iesuiticarũ in hisce regionibus præcipua impedimenta.

Quas occasiones norunt non aliunde densius emersisse, quàm ex subditorum in hisce septentrionalibus Regnis nimia,vt quidem Romæ semper visa est, libertate, illisq; barbaris legibus, quibus hactenus ita firmatur, vt Inquisitionis Hispanicæ intentatum iugum constanter repellat.

Horum igitur remotio & annihilatio Iesuitis per quartum illud & sectæ huic proprium votum extra ordinem iniuncta est: in hunc finem tot extraordinarijs Priuilegijs, Bullis & Indultis instructi & muniti sunt, vt non solùm agendi facultate reliquo Clero vniuerso præpolleant, sed iam ipsis Episcopis & superiorum Prælatorum Ordini graues & formidabiles esse incipiant. Nec ego dubito, quin gens Iesuitica aliquando Romanæ Ecclesiæ horrendi schismatis occasionem præbitura sit. Ad quod sanè ipsimet inter nos iam hoc conspicuum exordium fecerunt, quo eos, qui Romanæ Ecclesiæ instituta sequuntur, in genuinos Catholicos & Politicos distinguunt. Veri autem Catholici eis sunt non qui Catholicè credunt & viuunt, sed qui ipsorum factioni ita toti addicti sunt, vt omnes illorum molitiones probent serioq; promoueant.

Pro Politicis verò, id eſt, PſeudoCatholicis eos habent, qui, etſi in fide & vita Eccleſiæ Rom. ſe per omnia conforment, Ieſuitarum tamen factioſa conſilia & præferuidos conatus deteſtantur, maioremq; Patriæ Reipublicæ, quàm exoticarum factionum & Practicarum reſpectum habent, quod ipſum quale ſit, prudentibus liquere exiſtimo. Interea in hiſipſis rebus ſpecifica differentia conſiſtit Ieſuitiſmi, per quam à reliquo Clero diſcernitur, eiuſdemq; genus quaſi tranſcendit. *Ieſuitiſmi ſpecificus character.*

Cum verò hoc ipſi conſtanter negare conſueuerint, viuo illud exemplo erit demonſtrandum: inter Venetos & Pontificem hoc maximè tempore controuerſia intercedit ſuper Conſtitutionibus quibuſdam quarum renouandarum occaſionem Magiſtratui Veneto præbuerunt Ieſuitarum artes teſtamentariæ, Pontifex autem eas in fraudem Eccleſiæ factas conqueritur. *Venetorum cum Pontifice controuerſia.* Veneti hoc nomine à Pontifice compellati cum intelligerent, iura Maieſtatis Reipub. in eo periclitari, eidem cedere noluerunt, ſed palàm potiùs præ ſe ferunt, ſibi in ſua ditione ſupremam iuriſdictionem, & ſic etiam Legum ferendarum poteſtatem, non autem Pontifici competere &c. Quo animaduerſo, Pontifex Excommunicationis fulmine eos territat. Senatus hoc cognito Clerum ſuum compellat, ius Reipublicæ eidem exponit, Pontificis Pontificiæq; Excommunicationis iniquitatem demonſtrat, eoſdemque pro authoritate hortatur, vt curato officio Excommunicationem pro nulla habeant. Quid fit? Antiquus Clerus vnanimi conſenſu Reipublicæ cauſſam contra Pontificem probat, & de fide ſua prolixè pollicetur: recentiores verò Religioſi, quorum nempe Regulæ præſentis temporis conditioni accommodatæ ſunt, ducibus Ieſuitis Reipublicæ cauſſam damnant, ſtationemq; ſuam deſerunt: quamuis Ieſuitæ Magiſtratus Edicto nominatim expulſi & in æternum relegati perhibeantur, Hoc autem Ieſuitæ non aliam ob cauſſam fecerunt, quàm quòd viderent, ſe, ſtante & defenſa Reipubl. Venetæ libertate, ſtantibusque Legibus, nec ſtare nec Inſtituti ſui finem obtinere poſſe. Quodipſum ſanè diſcrimen illud, quod inter Ieſuitas, & quoſcunq; alios Clericos conſtituimus, ſatis euidenter probat & confirmat. Vos ergo iam, Proceres, quæſo cogitate, quid de Polonia noſtra futurum ſit, ſi inter nos omnia illa

 remo-

remoueri debeant, vt profectò illa remota cupiunt, per quæ in finis istius adeptione impediuntur? Adhuc de fine.

Praxis Iesuitica. Videamus nunc Media siue Praxin, per quam ad scopum illum perrumpere conantur; & hæc ex ijs, quæ iam dicta sunt, facilè intelliguntur. Hoc nimirum coniuncta opera feruidissimè agunt vt primùm Reges Europæos, quotquot possunt, vni cuidam Fœderi illigent: cuius Fœderis principem & directorem constituunt Hispaniarum Regem, Aurei istius velleris possessorem & custodem: ad cuius videlicet nutum reliqui se applicare cogantur sub hac conditione, vt qui conatibus eius quacunq; ratione intercedit, aut quàm minimùm aduersatur, de hæresi suspectus sit, & prædicti Velleris periscelide indignus censeatur.

Sed Regnorum septentrionalium ea ferè est ratio, vt ad Legum præscriptum, non autem ad absolutum Regum arbitrium regantur: ideoq; Regiarum personarum confœderatio parum illis prodesse poterit, nisi etiam subiecta Regibus Regna in eandem Vnionis nassam concludant. Atqui hoc opus, hic labor est: cum heic eis infinitæ, vt iam dictum est, difficultates obijciantur; quocirca etiam opera illorum heic præcipuè enitet, & omnium maximè conspicua est. Sic autem res suas hoc loco disponunt.

1. Primùm omnium hoc sedulò curant, vt in Aulis se insinuent. *Accipiter Iesuiticus non nisi in Aularum pinnis nidificat.* Hunc enim nidum hoc genus accipitrum sibi vbiq; præstruere, inque eodem oua sua deponere solet, priusquam ad Venatum euolent. Iesuita etiam ibi peregrinus sibi & exul, immò capite diminutus, videretur, vbi ab Aula arceretur. Fixo heîc pede, vlterius operam dant, vt Clauum Reipubl. in suam potestatem redigant, id

2. est, vt vel Regi, Reginæuè ex suo corpore Confessarium, vel saltem Hæredi Regio Præceptorem dent: aut, si hàc non semper succedit, illis dominentur, quorum in Reipubl. administratione præcipuæ partes sunt & vires: vtque horum affectus, cupiditates & designationes penitissimè cognita & perspecta habeant: qua videlicet esca vnusquisque alliciendus & captandus sit. Ad hoc autem felicius perficiendum, Romana Aula; quicquid authoritate, quicquid opibus, quicquid artibus & consilio valet & potest, genti huic liberalissimè, vt iam dictum est, indulget: adeò vt Iesuitarum commendationes Romæ ad consequendas dignitates & præbendas

bendas plus valeant, quàm Potentissimorum Regum intercessiones.

Quæ vnica res, si cætera abessent, ad corrumpendas omnes, OMNES dico, Europæ aulas abundè sufficeret, sicut euentus, proh dolor, testatur. Quamuis hoc etiam aduertendum est, Genio Iesuitico extra hoc quandam à natura occultam vim inesse, qua Ingenijs Aulicis imperat & dominatur.

Vt autem de occultioribus Factionis huius artibus, quas in prædictis Politiarum officinis exercent, nil dicam: duo sibi ibidem potissimùm paciscuntur, Primùm, vt ipsorum mellificatio ex hac Reipublicæ Arce non impediatur, Vtq; deinceps aduersarijs suis nullum eò refugium pateat, illorumq; querelæ, si quas eò deferent, vel prorsus negligantur, vel quoquo modo eludantur. De his duobus quamprimùm Iesuitæ cautum est, ipse deinceps sibi ad reliqua perficienda sufficit. Quale autem & hoc sit, prudentes vident. Nulla sanè in animalis corpore tam periculosa vllius visceris obstructio accidere poterit, quàm perniciosa hæc est in Politia principalis arteriæ, & sanguinis per eandem commeantis suffocatio: ex qua videlicet, in Polonia vtique, aliud nihil oriri potuit, quàm hic febrilis æstus, quo Rempubl. hoc tempore ardescere videmus. Ipsi quidem hoc acerrimè negant, adeoq; stomachantur, quoties rerum istarum culpa in ipsos confertur: vt qui non ignorent; quàm iustam ex eo odij & inuidiæ causam apud omnes bonos sustineant. Ideoque suspicionem hanc verbis, quantum possunt, à se remouere conantur, dictitantes: & sibi & Religioni Catholicæ iniuriam fieri, Hæreticorum has calumnias, & inuidorum Aulicorum clamores esse, Se Mundo rebusq; mundanis prorsus valedixisse, Negotia Politica ipsis sordere, eorumq; attrectatione per Instituti sui regulas sibi interdictum esse, Se deniq; à rerum Politicarum studio tanquam ab Instituti sui peste refugere &c. Speciosa profectò & in hoc vitæ genere verè pia & religiosa oratio, cuius veritatem Poloniæ nostræ publica aliqua & liberali Contributione redimendam suaderem, Nunc verò hos pictos & theatrales sermones clarissima experientia ita euidenter refutat, vt nil dubitem, quin pars illorum, qui ista audiunt, effusè rideant: pars etiam grauissimè indignentur. Illi nempe ridebunt, qui sibi conscij

Iesuitarum in Aulis postulata.

Iesuitica sanctitati negocia politica sordent.

 sunt,

ſunt, ſe per redempta Ieſuitarum ſtudia ea multoties in Aula & alibi conſecutos eſſe, quæ nullis meritis, nullo iure gratiâue adipiſci potuiſſent: contrà verò illi haud leuiter indignabuntur, qui meminerunt, ſe in Aula multoties in iure ſuo impeditos eſſe, ideò ſaltem, quod Factioni Ieſuiticæ illorum negotia non ſatis probarentur, vel quòd eoſdem non pro illorum deſiderio coluiſſent.

Quòd ſi verò Ieſuitæ rerum Aulicarum curâ ſe prorſus abdicarunt, ſi negotia Politica illis ad eum modum ſordent, quid cauſſæ eſt, quòd hoc potiſsimùm tempore ſuam quam plæriq; ſuadent, ab Aula remotionem tam ægrè ferunt, vt eam inter ſeptem ſupplicia, quæ eis à Politicis iniuſtè infligantur, numerent? Sed in re manifeſta verbis non eſt opus: hoc ſaltem ex mea experientia teſtari poſſum, me, cum inter Aulica miniſteria adhuc verſarer, primarium aliquando Ieſuitam audiuiſſe, qui Reipub. cuiuſdam Legato infortunium ſuum, quod in cauſa, vt mihi videbatur, æquiſsima perpeſſus erat, deploranti his verbis inſultabat: vidéſne, quantum Patres Societatis hîc poſsint? Quæ temeraria vox cor mihi vulnerauit, quòd ex animo dolerem, per huiuſmodi temerarios & impotentes homines Reipubl. noſtræ vitia ad eum modum coram ijs denudari, apud quos omni ſtudio cauendum erat, ne hoc Imperium in contemptum veniret.

Ieſuitarum Venatus. 3.

Interim hi Vultures conſtructo & firmato hoc nido, pabulatores ſuos quaqua verſum emittunt, ſuamq; venationem hac ferè ratione inſtituunt: primùm operam dant, vt in Primarijs Regni aut Prouinciæ Vrbibus Seminaria, Collegia, Templa quàmplurima, tanquam inſtantis Meſsis ſuæ horrea, vel occupent vel extruant. Per hæc autem duo conſequuntur, quæ eis ad finem ſuum, de quo diximus, valdè proficua exiſtunt: regnum primum Vniuerſum his ceu Vnguibus apprehendunt, & ita conſtringunt, vt ad ſuum nutum illud, quoties res ita poſtulat, cum ſingulis partibus circumagere queant. Quod vt faciliùs conſequantur, ſeminaria ſua in prædictis Vrbibus ita plærunq; conſtruunt, vt ſuis ædificijs ipſa Vrbium mœnia complectantur, eademq; ſibi noctu diuq; peruia faciant: vt in arcibus, quas Cracouiæ, Vilnæ, Caliſsij, Poſnaniæ &c. habent, videre licet.

Nec

Nec ego Gentis nostræ supinam negligentiam & incuriam satis heîc demirari, aut pro rei indignitate sufficienter detestari possum: quòd ad huiusmodi periculosas & Reipublicæ præiudiciales substructiones non solùm conniuimus: sed ad easdem materiem ceu proprijs manibus congesimus: cum sic existimem, si Rex aliquis tale quid machinaretur, vniuersam Rempublicam contra eum insurrecturam: & his exterorum Venatorum indagatoribus in nostris nemoribus tantum licet? *Polonorum in fouendis Iesuitis præcipuum peccatum.*

Deinde eâdem operâ Iuuentutem nostram spem posteritatis, ad suum cerebrum dispositis & recoctis animis, regignunt, & sic inter nos Noui & Iesuitici Mundi sementem faciunt.

Dum autem intra Regni Vrbes hoc ij agunt, qui ad hæc donis idoneis sunt instructi, reliqui Concionibus popularibus, & audiendarum confeßionum operosißimo simul & quæstuosißimo artificio pro virili student. Quarum artium effectus iterum duplex est: plebem enim primariam, vt ille loquitur, hac ratione paullatim suam faciunt, factioniq; vires adijciunt. Prouisoribus deinceps, qui Cameræ siue AErario præsunt, viam vbiq; muniunt, vt in omnia publica & priuata bona aditus eis patefiat. 4.

Et heîc mihi latißima sermonis valua se aperiret, si aucupia illorum, quibus illi homines, Mulierculas præsertim, quas circumueniunt, explicare vellem. Cum verò instituti & occupationum mearum ratio mihi habenda sit: illud saltem præterire nolo, in quo etiam sectæ huius à reliquis ReligiosorumOrdinibus differentia aliqua perspicitur: quòd nempe Iesuitæ vulgaria illa munuscula, quæ in Religiosos erogari consueuerunt, non curant, nec ea capiunt: quòd hoc eis sordidum & reliquo Ordinis splendori minus conueniens videatur. Aquila enim Currucam non captat. Et ipsi aliâs, vt exercitati Practici, benè norunt, *Pecuniam in loco negligere maximum interdum lucrum esse.* Nouiq; egomet simulationem hanc aliquando eousque proceßisse, vt oblatum 50. aureorum Vngaricorum precium repudiarint. Hominum verò opulentorum testamentaria legata, & cum his integra prædia adeò non fastidiunt, vt potiùs exquisitißimo artificio illa aucupentur, vt Polonia in hac etiam publica morum corruptione vix quicquam simile experta sit. Hinc ergo istis pecuniæ neglectoribus, qui suam *Iesuitæ sagaces aucupes.* *Propter passerem rete non attrahunt.*

gratui-

gratuitam operam nobis tam officiosè deferunt, illi Regales inter nos prouentus, quorum præsidio se iam non solùm animosè tueri, sed etiam factiones inter nos alere incipiunt. Hos etiam cum reliquis suis arcanis in Maiore Polonia Calisij: in Minori Cracouiæ: in Russia Lublini: Vilnæ in Lithuania: Poltouij in Mazouia: & Braunsbergæ in Borussia deponere & custodire dicuntur.

Iesuitarum æraria.

Hæc, inquam, Imperij Iesuitici inter nos æraria publica sunt & Chartophylacia, quæ, si hoc tempore excuti deberent, Poloniam haud dubiè de status sui qualitate rectius instructura essent, quàm tot hactenus tumultuosa scrutinia præstare potuerunt. Et hæc de praxi Iesuitica.

Hæc itaq; de primo designationis meæ Capite, de Politia nimirum Instituti Iesuitici pro Lectoris instructione sufficiant. Eius nunc erit cogitare, num fallatur, qui Iesuitas Polonis, Reique eorum publicæ vehementer formidandos & seduìò cauendos censet. De narrationis autem meæ veritate noui plærisq; melius quàm mihiipsi, constare.

Praxis Iesuitica ordini præcipuè Politico fatalis.

Superest nunc, vt, quæ in genere de sectæ Iesuiticæ natura & moribus proposita sunt, per particularia exempla comprobentur, adeoque demonstretur, quàm periculosa harum rerum praxis ordini Politico fuerit; Quod Secundum erat Propositionis meæ. Caput Hocipsum verò per Domestica & nostræ experientiæ Documenta satis copiosè explicari posset & demonstrari: Spero tamen in exterorum historia rem magis conspicuam fore, quòd illorum casus extra factionum affectus positi & sic ad instruendum aptiores sint: ideoq; illorum exemplis immorabor, ita tamen, vt nostratium non prorsus obliuiscar.

Inter plurima verò documenta vix quicquam illustrius est eo, quod historia vltimi tumultus Galliæ suppeditat: ex quo nempe perspicitur, quantum Iesuitismi Genius contra Statum Regium, ad eiusque euersionem possit. Res sic habet: Regni Galliæ ea est conditio, ut à prudentiæ politicæ studiosis ferè pro optimæ Politiæ norma allegetur. Et quamuis in eo nobis cum ipsis per omnia non conueniat, certum tamen est, Eam firmissimam esse. Siquidem ad absolutæ Monarchiæ formam quamproximè accedit: contra tyrannidem tamen & seditionem ijs legibus, ea Parlamentorum

Virtutis Iesuiticæ illustre specimē in Gallijs.

torum

torum authoritate, illa demum sanguinis Regij reuerentia corroboratum & firmatum est, vt his solis rebus hactenus inuictum perstiterit.

Et quantum ad sanguinis Regij obseruantiam attinet, Galli vulgò aliquid præ reliquis Nationibus in hoc affectu putantur habere. Illorum sanè regia familia vetustior est, quàm vlla Europæa. Contra hanc tamen firmissimam, vt Henrico III. hauddubiè videbatur, Arcem Iesuiticæ impressionis cuneus tantum valuit, vt quod in Gallijs hactenus inauditum erat, Rege in ordinem redacto Familiæ Regiæ autoritatem ita penitus prostrauerint, vt & personam Regiam neci dediderint, & infensissimæ Gallis nationi ad inuadendum Regnum viam longè latèque complanauerint. Et nisi peculiaris & penè miraculosa DEI prouidentia conatibus eorum tam euidenter obstitisset, rem eò deducturi videbantur, vt Galli prodita Regia familia, quæ inter eos per annos plus quàm 600. tam altas radices egit, vt omnes ferè Principes familias complexa sit, Gallici nominis perpetuum hostem & æmulum sibi Regem asciuissent. Idq; sanè multò maiori miraculo, quàm si nobis antehac Demetrium suum Moscouiticum obtrusissent.

Heîc autem, vt magis perspicuum fiat, quomodo Instituti istius Genius ergo statum Politicum sit affectus, Ex tot illorum molitionibus, quibus Henricum illum subuerterunt, vnum saltem, sed valdè insigne illorum stratagema heîc producam: Cuius hæc est ratio:

Sub initium prædicti tumultus quæstio illa in Gallijs agitari cœpit, *Num Pontifex R. Galliæ populum à fidelitatis iuramento, quo Regi suo obligatur, in casu hæreseos absoluere possit?* Ex hac oriebatur altera huic admodum affinis. *Num cuilibet priuato liceat Tyrannum propria authoritate occidere?* Intelligis, opinor, cordate Lector, quantum Regis Statusq; Regij & vniuersæ Reipubl. in horum problematum decisione intersit. Et quid putas Apostolos dicturos fuisse, quando Hierosolymis primum Concilium sub præsidio spiritus sancti celebrabant, si Religiosus aliquis cum huiusmodi quæstione coram eis apparuisset? Neq; tamen in Gallijs controuersiæ istæ nouæ erant. Ad priorem enim ventilandam Pontificum olim cum Galliæ Regibus perpetua litigia perennem materiam suppeditauerunt.

Quæstiones in Gallijs à Iesuitis mota & decisa.

runt. Posterior verò ante annos plus minus 200. post cædem nempe Ludouici Aureliani in Sorbonistarum Collegio publicè agitata & solenniter decisa erat. Vtraque semper constantissimè fuit negata, adeò vt posterioris assertio & assertor Ioannes Pratus, ni fallor, in Concilio etiam Constantiensi ex æquo damnati fuerint.

Ioannes Pratus.

Pro hac autem vice eædem quæstiones Galliam ad eum modum immutatam inuenerunt, vt bona pars Cleri, & cum his totus Iesuitarum ordo vtriusq; assertionem probauerint, reuocata & annihilata Maiorum suorum perpetua sententia: non aliter, quàm si nouus interea mundus successisset.

Huius verò immutationis Iesuitas præcipuos authores extitisse, ipsa Sorbona post res sedatas publicè professa est: & Iesuitæ idem non obscurè agnoscunt, dum inter caussas, propter quas olim Pontificia Excommunicatio contra Galliæ Reges minus efficax fuerit, hanc nominatim exprimunt, *Quòd Gallorum animi tum non sufficienter dispositi fuerint*, Hoc est, quòd tam acres seditionum Concitatores non habebant, quales hodie Iesuitici Concionatores sunt & Confessarij.

Iesuitarum in disponendis animis peculiare artificium.

Hæc igitur Iesuitarum decisio (non tamen absq; Deo) Henrico necem attulit, & contrà Parricidam absoluit, eumq; Ehudo isti Israëlitarum liberatori æquiparauit. Quale nihil in vlla Christiani Orbis parte inde à Religionis incunabulis auditum scriptumuè est aut lectum.

Vbi tamen, Proceres: vt rei indignitas meliùs perspiciatur, diligenter notandum, sectam hanc Tyranni, eius nempe, quem ab vnoquoq; priuato impunè occidi posse contendunt, Definitionem sibi suæq; discretioni reseruasse: Secundum quam Is nobis pro huiusmodi mactationis pecude habendus est, qui quacunq; ratione in Romani Pontificis indignationem incidit, & ex Iesuitarum sensu excommunicatur. Id quod ideò heîc addendum fuit, quòd in alterius Quæstionis formatione ab ipsis insidiosè additur, *In casu hæresees*, vt hoc nempe fuco perfidiam suam in supremum Magistratum incrustent: cùm ex præcedentibus constet, Hæreticos illis esse, non qui prauas in Religione opiniones sectantur: sed

Tyrannus quis secundum Iesuitas.

qui

qui Iesuitarum artes quocunq; modo impediunt, aut ipsis non per omnia obsequuntur.

Iesuitica Definitionis Hareticae.

Sicut vel ex Venetorum exemplo intelligere possumus, quos haec secta per Vniuersam Italiam pro pestilentissimis Haereticis proclamare dicitur, ideò saltem, quòd latis, seu potiùs renouatis Legibus Iesuitarum cupiditati frenum iniecerunt : & quòd fortè etiam (de quo mihi constat) Inquisitoriae potestatis libidinem intra nimis arctos carceres concluserunt.

De Henrico verò certum est, Eum, dum vixit, nullius vspiam erroris ab vllo Catholicorum insimulatum esse: constat etiam, Eum in CatholicoRomana communione vsq; ad extremum perstitisse. Furoris autem, quo eum persecuti sunt, haec vera caussa fuit: *Quòd sceptrum Regium non ei tradere volebat, quem sibi hi Socij, tanquam idoneum molitionum suarum administrum, Galliae Regem destinauerant.*

Henrici 3. haeresis.

Nunc ergo, Proceres, iterum attendite, mihiq; dicite; Annon per hoc Iesuitarum decretum omnium Europaeorum Regum, & quorumcunq; Magistratuum Politicorum Mors & Vita ab arbitrij Iesuitici horoscopo suspendantur? Vt, si hic illis dextrè ascendat, ipsi viuant & valeant, sin minus, pereant? Qua de re praedicta Venetorum calamitas, Regis Britanniae perpetua pericula, & illorum nominum metus, qui hunc ordinem sibi infestum sentiunt, abundè testantur. Venetorum tamen exemplum praecipuè conspicuum est, quòd Resp. illa, vt dixi, RomanoCatholicam religionem hactenus, tanquam Imperij sui Palladium, accuratè obseruet & acerrimè tueatur.

Magistratuum pericula.

Quae exempla quoties expendo, toties exhorresco, cùm videam, quàm facilè sub praesenti rerum statu inter nos simile quiddam in alterutram partem accidere posit : postquam inprimis sectae Iesuiticae ad huiusmodi aliquem effectum tam pertinaces & feruidi conatus ab aliquot iam annis inter nos deprehenduntur: eos sanè ad tale aliquid etiam inter nos audendum satis animatos esse proximorum aliquot Mensium experientia demonstrauit.

Sed heîc fortasis aliquis dicere volet, Inter nos nihil ab hac parte esse periculi, quòd Iesuitis cum Rege nostro probè conue-

 niat

niat &c. Mallem hos dicere posse, Regi nostro cum Regni Ordinibus, & his cum Regia Maiestate probè conuenire. Hoc enim ad Reipublicæ salutem aliquantò vtilius, & ad Securitatem nostram firmius & efficacius esset. Nunc autem hoc verè dici agnosco, neque tamen hocipsum sollicitudinis meæ caussam tollit, sed eandem potius auget. Ecquis enim certò dicere poterit, quòd hoc Regi nostro perpetuum futurum sit, vt Iesuitis tam propitijs vtatur? Quid si is aliquando deprehensis illorum artibus, à quibus eum hactenus plæriq; circumuentum existimant, animum mutet, & potiorem Reipublicæ respectum habere incipiat, Ecquid tum eum sperare iubebimus. Annon tempus fuit in Gallijs, quo Henricum III. ex Polonia redeuntem Iesuitæ eo applausu excipiebant, vt laudum eius præconio exatiari nequirent, dictitantes, *Huic vni Indiuiduo omnes Constantinos & Carolos Magnos, omnes Ludouicos &c. inclusos esse, Hunc fortißimum, Christianißimum & inuictißimum Christi athletam, Ecclesiæ Catholicæ protectorem, Hæreticorum malleum & pauorem à DEO Gallijs prouisum?*

Regis Vita, & , quæ ab hac pendet, Regni fortuna Iesuitarum affectui obnoxia.

Henricus 3. in Gallijs priusquam Iesuitis displicere cœpit, à Catholicis salutem non pro altero Messia habitus.

Quid verò hæc omnia eum tandem iuuerunt? Cùm hic projectæ assentationis affectus paullò pòst ita prorsus in contrarium mutatus sit, vt eum non solùm occidi curauerint, sed occisi Cadauer, quantum in ipsis fuit, sepultura prohibuerint, Ipsumq; Parricidam in Diuorum Catalogum retulerint.

Sed esto, Inter Nos tale nihil metuendum sit in præsentia, quis verò nouerit, qualis inposterum Regum rerumq; nostratium status sit futurus? Nostræne itaq; Matri ita consulemus, vt tam ambiguæ fructificationis semen scientes intra Reipubl. viscera retineamus, tanta cura foueamus, & ad posteros propagemus? Quis, inquam, sanus nobis suadebit, vt fortunas nostras tam ambigui euentus aleæ committamus? Vt nempe Respubl. non diutiùs salua sit, quàm quousq; Regi Reiuepublicæ cum Iesuitis probè conuenit? Vt tum demum nobis securis esse liceat, quando nihil inter nos est, quod sectæ huic offensionis caussam præbere posfit?

Iesuitismi Genius ipsis Legibus infestus.

Dixi, quanta vis sit aculei Iesuitici contra Reges statumq; Regium, quoties hunc molitionibus suis obstare intelligunt. Heic autem Lectorem notare velim, Eiusdem pestis non minorem efficaciam esse in oppugnanda & expugnanda Republica, atterendis

Legi-

Legibus, quoties nempe ſentiunt, ſe ab his inſtituta ſua venatione impediri. Et quod ad Leges attinet, hæ Politicæ tineæ illas præcipuè arrodere conſueuerunt & exedere, quibus ius ſucceſsionis in Regno continetur, Libertaſq; & Pax publica firmatur.

Lex Salica in Gallijs.

Qualem in Gallijs præcipuè inuenerunt Legem illam Salicam, Matriculam & fundamentum illius Regni, per quam ſtirpis Regiæ maſcula proles, excluſis fœmellis, ad Regnum ſola admittitur, Cuius Legis vigore ſucceſsio Regni poſt interfectum Henricum 3. ad Henricum 4. Regem tum Nauarræ deuoluebatur. Quodipſum cum ſecta Ieſuitica ſuum interitum interpretaretur, tantum efficere potuit, vt Galli hoc Reipublicæ ſuæ fundamentum ipſimet ſubruere conarentur, aſſcita contra hanc Legem Philippi II. Hiſpaniarum Regis filia, quam ex Henrici ſecundi Galliarum Regis filia ſuſceperat, in Regni ſui hæredem, operis totius promotoribus & internuncijs Ieſuitis. Quod autem Gallis Lex Salica præſtat, hoc Poloniæ adhuc Regum iuramenta conferunt, per quæ hactenus Reip. liberæ Electionis ius conſeruatur. Quàm periculosè verò hoc etiam libertatis noſtræ fulcimentum ab hiſce tineis arroſum ſit, egomet dicere nolo, nec publica ipſemet diuulgabo.

Eiuſdem virtutis illuſtre ſpecimen coram oculis noſtris in vicina Hungaria, Auſtria, Styria, Carinthia &c. ediderunt: eo nimirum ſucceſſu, vt obtritis Legibus, quibus prædictarum Nationum & Prouinciarum libertas nitebatur, partem earum penitus oppreſſerint, partem ad extremam deſperationem adegerint. Hoc quidem rumor publicus hactenus conſtanter affirmat, In prædictis Prouincijs alicubi illuſtribus & antiquiſsimæ nobilitatis familijs publicè diem dictum eſſe, intra quem ſe, aut coram Ieſuitarum Tribunali ſiſtant, aut relictis patrijs ſedibus aliò migrent: quæ res fœtori iſti malè vertat.

Homines Nobiles ſedibus pelluntur, quòd Ieſuitis geniculari nolint.

Hîc ergo iam quæro Proceres, ſi fortè res in eum caſum deueniat, vt Regiam Mentem Ieſuitæ inter nos vel nunc, vel poſteris temporibus ita colant, vt eandem contra Rempubl. contra Leges & Libertates noſtras incitent: vt quando hactenus coram Moderna Regia Maieſtate *Pacem Religionis*, vnicum illud furoris Ieſuitici repagulum, ita traducunt, vt eam Tataricam & Mahometicam perfidiam nuncupent, quam Regia Maieſtas citra æternæ ſalutis

Pacem Religionis Ieſuitæ, vt

Canes lapidem proiectum, admordent.

ſuæ iacturam nec approbare poſsit, nedum vt eandem tueri debeat &c. quam,inquam, vos mihi ſpem dabitis? Noui tamen, quid etiam hîc nonnulli excipiant. Non eſſe videl.tantoperè admirandum, ſi Confœderatio illa fortaſsis non omnibus probetur, ſub qua nimirum tot abominandæ ſectæ quotannis inter Nos ſuppullulent &c. Age itaque cedamus eis ad tempus (quod tamen citra Reipub. præiudicium fiat) hoc iure: quid verò ad illud mihi reſpondebunt, quod in proximis Comitijs VVarſauiæ, Dominica Miſericordias Domini anno 1606. ex P. Scargæ ore audiuimus, quando is conuerſo ſermone ad Regem ſic eum alloquebatur: *Eheu Rex, quorſum iam nobis res tua intempeſtiua conniuentia reciderunt? Reges olim Poloniæ de rebus ad Rempublicam ſpectantibus cum ſolis Senatoribus deliberabant, Nunciorum iſtorum terreſtrium, quos vocant, nulla in hiſce rebus partes erant, vt qui non ita dudum introducti ſint. Nunc verò tua & quorundam Maiorum tuorum ſocordia res eò, proh dolor, deducta eſt, vt quamprimùm feroculus aliquis Domicellus, qui ſe pro Nuncio fortè terreſtri gerit, votum ſuum proponit, omnes ei protinus aſſurgere cogantur &c. Tuum, Tuum erat, ô Rex huiuſmodi quæ contra antiquos mores inoleuerunt, conſuetudines cohibere. Vbi etiam manibus ceu nutu indicauit, quid fieri vellet, Summa nimirum papauera demetienda eſſe.*

P. Scargæ cum Rege expoſtulatio.

Hunc igitur Tubicinis iſtius aulici tenorem ſi reliqui Tribules ita perſequentur (vt profectò eum ſtrenuè perſequerentur) vt ad iſtorum Conſiliorum executionem operam & vires ſuas Regi aliquando in auxilium offerant, Ecquid de nobis deque noſtra illa hactenus illibata libertate futurum cenſetis? Diſputatur hactenus inter nos ab annis 50. aut circiter de Legum Polonicarum autoritate contra Pontificum Decretales, quæ Ciuis Poloni caput & fortunas in caſu hæreſeos, vt loquuntur, abſoluto Epiſcoporum arbitrio contra expreſſas libertates noſtras ſubijciunt, Regiq; nullas alias in hoc Iudicio, quàm miniſteriales executionis partes relinquunt.

Vide Annales Orichouij.

Diſceptatur etiam hodiè de modo poteſtatis Regiæ, itemq; de Reipublicæ in rebus ad Regni ſalutem ſpectantibus authoritate. De his autem controuerſijs quid Ieſuitæ ſentiant, non eſt obſcurum. Regi Regiæq; Maieſtati (quamdiu in conatibus ipſorum promouendis conſtanter perget) tantum adiectum cupient,

quan-

quantum Henrico 3. olim & eiusdem successori Henrico 4. propter oppositam rationem detraxerunt. Quomodo verò vice versa in Remp. animati sint, P. Scarga iam nos docuit, Et vos adhuc dormire vultis?

Ex his ergo omnibus perspicitur, Iesuitas illos esse, qui diffidentiam inter Regni huius subditos & supremum Magistratum serunt, fouent, augent, exasperant, dum Regiam Maiestatem Nobilitati, Nobilitatem Regi suspectam efficiunt, & sic Principem eò deducunt, vt omisso fidelium subditorum respectu exteræ amicitiæ præsidia circumspiciat. Idem ferè illorum studium est circa *statuum* illud disidium, quod hactenus ceu in cineribus sopitum iacuit, quod tamen illi subinde fodicant, dum Prælatorum animos solicitando hos spe, illos metu, incitare non desinunt. Illas autem populares factiones, quibus ordo Equestris periculosissimè hoc tempore distrahitur, Eccui alij, quàm Iesuitis, acceptas feremus? Qui primùm vniuersum hunc Ordinem generaliter in Hæreticos, quibus nullum in Regno nisi precarium ius concedunt, in Politicos, quos his aliquantò peiores statuunt, Et sincerè Catholicos sibiq; fideles tripartitò discerpunt, Et inter hosipsos deinceps priuatas simultates & disidia serunt & alunt? Ex quo inter infinita mala etiam illud consequitur, vt Princeps ne quidem, si velit, præcipuum aliquem Nobilitatis respectum habere queat, vt in cuius dissolutis scopis parum authoritatis & præsidij sibi repositum norit.

Hæc igitur etsi palàm inter nos practicentur, ita vt animi affectus citra ruborem ipsimet in publicum prodant, sunt tamen, qui Iesuitarum inter nos patrocinium suscipiant, & omnia sedulò conquirant, quibus hæc sub aliqua probabilitatis specie vel prorsus negari, vel saltem palliari & excusari quocunque modo posse confidunt. *Iesuitarum nequitiæ suos vbiq; applausores inuenit.*

His igitur deinceps nonnulla respondenda sunt; nam hoc Tertium nobis designationis nostræ Caput constitutum fuisse memini.

Qui itaq; Iesuitas omnium feruidissimè propugnant, primo loco Catholicam Religionem allegare consueuerunt, à cuius interitu sibi metuunt, si in Iesuitas grauius aliquid deberet statui. Estq; hic

hic defenſionis Ieſuiticæ longè ſplendidiſsimus & maximè plauſibilis prætextus, ad quem amplificandum congeruntur Ordinis iſtius res geſtæ, Barbarorum nimirum infidium ſub vtroq; Mundi axe, ſicut & hæreticorum in hiſce partibus plurimorum feliciſsima conuerſio: quibus ante hac inter nos adiecti ſunt diuini illi & miraculoſi Sectæ illius ſucceſſus in Moſchouia, & auguſta ſpes, quam ex illo tractu & nobis & Romanæ Eccleſiæ oſtentant &c. Ipſi etiam Ieſuitæ, vt heic foro vtantur, videri volunt, Eos, qui illorum eiectionem & ex Aula remotionem ſuadent, id malitioſè agere, vt abactis Canibus ab ouili oues Luporum ſæuitiæ proſtituant.

Religionis Romano-Catholicæ conſeruatio & propagatio.

Ad hæc igitur quid dicemus? Hæc nempe primò heîc admirari cogor, quibus rationibus ſibi perſuaderi patiantur, Catholicam Religionem citra Ieſuitarum operam in Polonia conſiſtere non poſſe, ij qui credunt, Romano Catholicam Religionem, qualis illa nunc eſt, paullò minus, quàm mille quingentos annos per Orbem duraſſe, antequam Ignatius Loiola in terris natus eſt: ita videlicet, vt in noſtra etiam Polonia tot centenos annos egregiè floruerit? Deinde dico, Chriſtum & Apoſtolos inde ab initio non ſolùm Religionis propagationi, ſed etiam æternæ eius conſeruationi per ſufficientia media abundè proſpexiſſe: vt Eccleſiæ, quamdiu in veritatis tramite ſimpliciter incedit, nullis nouis & extraordinarijs medijs opus ſit. Hi autem non Ieſuitas, quod quidem ego ſciam, ſed Epiſcopos, Presbyteros, Doctores, Paſtores, Diaconos &c. ordinârunt: iſtorum verò officiorum cùm non ſolùm nomina, ſed etiam perſonæ inter nos ſuperſint, quibus illorum cura demandata eſt, quis dubitet, quin hi, dummodò officium faciant, Religionem rectè ſint curaturi, vt maximè Ieſuitæ in Polonia nulli ſint? Quòd ſi autem Ieſuitæ Canum illa valdè ambigua appellatione ita delectantur, vt ſibi ſolis eam vendicent, viderique velint, citra ipſorum vigilem curam Dominicum Ouile omni præſidio deſtitui, indicare mihi velim, quid de reliquo Ordinario Clero ſentiant? Num hos fortè pro vulpibus haberi velint?

Qui putant Religionem citra Ieſuitarum operam conſiſtere non poſſe, Ordinarium Clerum pudendæ ignauiæ arguunt.

Ieſuitæ Religionis prætextu pro ſlice vtuntur.

Tertiò vlteriùs ſic dico, Religionis curam & propagationem Ieſuiticæ deſignationis minimam partem eſſe: quam nimirum ipſi amplius non curant, quàm quatenus prætextus illius eis ad principalio-

cipaliorem Instituti sui finem, de quo dictum est, viam munit. Id quod vel hinc apparet, quòd inter eos partes docendi in Ecclesia inferioribus ferè committuntur, vt primicerij huius Ordinis, & qui ingenio præstant, illis, quas diximus, sublimioribus artibus in Aulis liberiùs vacare queant.

Quartò experientia testatur, quod etiam virorum doctissimorum, quos vel Iesuitæ ipsi pro Catholicis coguntur agnoscere, calculo confirmatur, Iesuitas Religioni RomanoCatholicæ intra Europam magis obstitisse, quàm vt eandem promouerint. De quo aliquot inter Nos præstantissimorum virorum ex ipso etiam Ecclesiastico ordine querimonias me non semel audire memini.

Hocipsum verò cùm multis prorsus incredibile videatur, his illud rationibus vlterius declaro: Primùm, omnes in Vniuersum Catholicos in eo mecum consentire opinor, Quòd ibi demùm Religio RomanoCatholica crescat & floreat, vbi Concilij Tridentini Canones & Decreta acceptantur, & iuxta eosdem creditur & viuitur: ibi, inquam, institutæ reformationis negotium, de quo suprà dictum est, plenè succedit, in quo nempe Ecclesiæ Catholicæ salus hodiè reponitur. Sed experientia perspicuè testatur, Concilij istius executioni vix quicquam hactenus fortiùs obstitisse, eiusdemq; Decreta Nationibus magis suspecta & exosa reddidisse, quàm Iesuitarum practicas & seditiosum feruorem, quibus modestissimum quenq; inter ipsos etiam Catholicos offenderunt, & omnia turbarunt. Deinde negari non potest, solius Iesuiticæ bilis præferuido æstui imputandum esse, quòd RomanoCatholica Religio hodiè in amplissimo Britanniæ Maioris Regno tanto studio premitur & opprimitur, vt nunc etiam post exactos Iesuitas Catholici sacerdotum secularium vsu penitus priuentur, & sic Regis Clementissimi beneficio gaudere nequeant.

Calamitatis Catholicorum in Anglia immediati Autores Iesuitæ.

Eandem calamitatem ijdem Catholici ante annos non adeò multos in Scotia Iesuitarum culpa perpessi sunt. Cum enim illorum non nulli in Regno Scotiæ Coniurationis cuiusdam, quæ contra Regem ibidem à P. Crichtonio Iesuita in Hispania instituta erat, tabulas hincinde inter Romanæ professionis homines clanculum circumferrent, quibus illi subscribere debebant: Re

prodita, Ex primaria Scotiæ Nobilitate complures, qui hactenus ceu columnæ Religionis RomanoCatholicæ in prædicto Regno fuerant, extremum vitæ fortunarumq; omnium discrimen adierunt. Sed & reliqui Catholici omnes cum ipsa Religione, cui Rex antehac non admodum aduersari videbatur, in iustissimum Regis odium incurrerunt: ea ratione, vt in hunc vsq; diem miseri illi facinoris Iesuitici pœnas luere cogantur.

Et quid aliud Hungaros & Transyluanos non ita dudum ad eum modum exacerbauit, vt vnà cum Iesuitis omnes Catholicos Sacerdotes, quos nancisci potuerunt, malè tractatos ex finibus suis expulerint, quàm importunus ille Iesuitarum feruor? Dum hi, supremi Magistratus authoritate & fauore freti, reliquias libertatis prædictarum Prouinciarum tanto impetu inuadunt, vt incolæ, qui hactenus omnia pertulerant, has vltimas Iesuitarum iniurias perferre nequiuerint, & extrema potius remedia arripuerint. Ad quod eos hauddubiè vicinarum Prouinciarum perspecta calamitas animabat. Quinetiam de Polonia dubium nullum est, quin & inter nos aliquando rebus turbatis Catholicæ Religioni magnum aliquod infortunium conflaturi sint, si quidem diutius inter nos conuersari debeant. Cuius rei hæc abundissima caussa iam nunc præstò est, quòd hic Liuor, illâ, quæ nobis tantoperè commendatur, docendi facultate non contentus, machinationibus suis publicam Magistratus authoritatem prætendit. Quæ res vt fortè plebeculam territat, ita cordatiores quosq; vehementer offendit, studia eorum suspecta facit, & quod iniquissimum est, Magistratum, sicut & ipsum Clerum, publico odio exponit, eiusdemq; authoritatem subditis contemptibilem reddit. Hæc igitur Catholicæ Religionis damna si cum profectibus comparentur, quos Iesuitæ intra Europam in eiusdem propagatione fecerunt, tantum fortaßis vix superfuturum est, vt gloriabundæ illorum iactantiæ respondeat.

Iesuitæ quales Concionatores.

Veruntamen vt huius etiam infortunij culpam eis condonemus, si doctrinam Iesuiticam per se & extra hos excessus æstimemus, in eadem nihil, quod tanto præconio dignum sit, deprehendetur. Religio enim vel voce, vel honesta vitæ conuersatione, vel scriptis propagatur & defenditur. Vocis ministerium Conciones

& au-

& audiendarum Confeſsionum artificium compræhendit. In concionibus Ieſuitæ vtplurimùm ſubtiles, diſerti & in Concitandis affectibus acres, vehementes & impetuoſi eſſe conſueuerunt: vt imbecilles & incautos animos mouere & percellere poſsint. Haſce autem qualeſcunq; dotes, quæ in ſinceræ pietatis ſchola non perinde æſtimandæ ſunt, corrumpit & cordatioribus ſuſpectas facit primùm elocutionis ſiue actionis (hanc quidam Hypocriſin vocari dicunt) geſticulatoria leuitas, nimiumq; fucandi ſermonis ſtudium, Et qui ſub hoc prælucet, ardentiſsimæ ambitionis affectus. Quorum vtrumq; neſcio quid fucatum & non Apoſtolicum ſapit. Deinde deformat eas iſta inexhauſta calumniandi & conuitiandi libido, qua plerunq; in aduerſarios debacchantur. Idq; tantùm, vt Plebis animos incendant & exaſperent: cum interim aduerſarios, quos lucrari debebant, magis indurent. Me quidem hæc ita offendunt, vt viliſsimi pagi Parochum interdum concionantem audire malim, quàm, qui in vniuerſa Polonia inueniri queat, diſertiſsimum Ieſuitam.

Ad Confeſsionarium artificium quod attinet, non inficias eo, hoc Venationis Ieſuiticæ præcipuum Inſtrumentum & perquàm commodum rete eſſe. Neq; tamen hocipſum tam cautè hactenus diſponere potuerunt, vt illa omnium arcanorum perſcrutatio peccatorumq; interdum non ſatis pudicum examen, cum ſatisfactionis illa inſidioſa, multoties etiam auara impoſitione non plurimos offenderit, & à Catholica communione ita repulerit, vt ab eadem propter ipſos præcipuè Ieſuitas penitus abhorreant. Sentit hoc iam in vicinia nobis Morauia Præſul Olumucenſis, ſub cuius nomine Ieſuitæ libellum quendam ibidem typis excuſum ediderant, in quo pro confitentium inſtructione Catalogus peccatorum, cum diſcretione venialium & mortalium recenſetur, ſecundum diſtincta vitæ communis officia: quando eius libelli abominanda ſpurcitie, (ab amicis admonitus) pòſt aliquantò diligentiùs perpensâ, pudore victus, eundem vt Chriſtianæ profeſſioni minimè ferendum, omnique luce indignum opprobrium, preciò plus quàm decuplo paſsim redimere ac penitus ſupprimere conatur.

Decipula Confeſsionaria.

Quantum ad vitæ conuerſationem, Eam quidem ita hactenus

 inſti-

instituerunt, vt nimis conspicua illa vitiorum vlcera, quibus Clerus ante hac turpiter deformatus Laicisque exosus redditus fuit, studiosè vitarint. Neq; tamen in hoc etiam proposito tam constantes aut circumspecti fuerunt, vt non in opposito arboris scientiæ boni & mali fructus se in ijsdem proderent. Dum enim ab vna parte miraculosam quandam vitæ continentiam, angelicam castitatem, religiosæq; pietatis deuotum studium ostentant: ab altera parte profundæ auaritiæ tam dira lues, & circumueniendarum Nobilium Familiarum viduarumq; & Orphanorum decipiendorum tam callidum artificium deprehenditur, vt hocipsum prudentioribus in hominibus tam religiosis summæ admirationi fuerit. Vt interim superiorem artium Iesuiticarum chorum heic intactum relinquam, de quibus tam multa iam dicenda fuerunt. Restat scriptio Iesuitica, in qua ferè summus Instituti huius excellentiæ gradus constituitur, nec id prorsus vanum censeri debet.

Iesuitæ & ipsi de arbore scientiæ boni & mali gustarũt.

Scriptio Iesuitica.

Negari enim non potest, dictionis Iesuiticæ characterem per se tersum & argutum: Orationem etiam, si artificium spectes floridam simul & neruosam esse. Quæ scriptionis virtutes ad illectandam & capiendam Iuuentutem non exiguam vim habent, quæ etiam Iesuitas harum præcipuæ rerum admiratione suscipere & sectari solet. Qui verò serio pietatis studio afficiuntur, hæc tantò minus curant, quantò in hisce rebus nimia Iesuitarum affectatio euidentior est: non aliter, quàm si omnibus veteribus & recentibus Sophistis, aut ipsis etiam triobolaribus rabulis palmam vellent præripere. Veritatis autem sermo simplex est, & esse debet. In primis verò Christianæ Religionis tractatio huiusmodi fucatæ & coloratæ orationis lenocinia auersatur & respuit, tanquam corruptarum & prurientium aurium non satis castum delinimentum. Prudentissimi denique, quique incorruptissimè iudicant, sic sentiunt, Iesuitas suis hactenus argutis & concitatis scriptis eatenus saltem profecisse, vt Catholicos suos inflammatos concitauerint, partem verò aduersariam acuerint & obfirmauerint: vt sic bellum illud religiosum, quo ceu causone quodam Europa adhuc amburitur, tantò periculosius exarserit. Quemadmodum nostris ipsimet oculis cernimus.

Iesuiticæ scriptionis effectus.

Quod autem de Barbarorum in vtraque India conuersione pro

pro Iesuitis adducitur, illud ex ijs locis petitum est, ex quibus aliquis non solùm verum dicere, sed etiam securè mentiri possit: In Polonia præsertim & in illa explorationis difficultate, postquam Castilienses & Lusitani nullum extraneum in illas regiones admittunt: Ideoque his nil aliud, quàm vulgatum illud respondeo: *En Rhodus, en saltus.* De Hæreticorum in his terris conuersione rem non prorsus nego, vt de qua oculorum aspectus testetur. Opus tamen ipsum non tàm doctrinæ Iesuiticæ extraordinariæ virtuti, quàm argumentorum aureorum & argenteorum ponderi ascribendum censeo, quibus ferè vtuntur, quorumque perennem copiam eis Ecclesiæ Romanæ fauor, Aulæq; Polonicæ iucundus calor sufficit: inter quæ tamen heic inter nos quandoq; vitrea concurrunt, pro quibus alibi in vicinia ferrea substituunt. Quod genus conuersionis Paulus Apostolus hauddubiè Euersionem seu potiùs Corruptionem dixisset. Ad rerum Moscouiticarum successus quod attinet, illi reuera nobis hactenus non citra fastum ostentati sunt, quorum etiam præcox spes Gentem Iesuiticam ad eum modum inflauit, vt omnia sibi deinceps contra Clerum, Nobilitatem & quoscunq; alios licere putaret. Qualia verò nunc ex ijs locis per repetitos Nuncios constanter afferantur, nemini hodiè ignotum esse arbitror. Iesuitas tamen videmus & audimus omni narrationi acerrimè contradicere, quodipsum indiciò est, rem ipsorum ibi actam esse & adhuc agi, vt quicunq; tandem euentus (vtinam bonus.) secuturus sit, non alijs eum principaliter, quàm ipsimet imputare possimus. Quale autem meum ab initio, quamprimùm Consiliorum istorum aliquid in vulgus emanauit, de molitionibus illis iudicium fuerit, multis magni nominis Viris, quibuscum sermonem ea de re contuli, notum esse scio, Ipsi nempe caussæ in genere melius fundamentum optabam. Deinde rem per se periculi plenam esse apertè profitebar, Horatianum illud de hisce conatibus subinde vsurpans.

Iesuitarum aurea & argentea argumenta in Polonia cum vitreis, alibi cum ferreis permiscentur.

Moscouiæ inconsulta & periculosa tentatio.

———————— & arma
Nondum expiatis vncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ,
Tractas, & incedis per ignes
Suppositos cineri doloso.

Deniq; sic præ me semper tuli, si Iesuitæ negotio huic se immiscerent, nullum eius bonum euentum exspectandum: hos enim omnia turbaturos: &, si res felicissimè cadat imperium illud ab ipsis perturbatum & motibꝰ intestinis repletum iri, qui nobis tempore fortassis non æquissimo negotium facessere possent, quemadmodum in Suecia nobis non ita dudum accidit. Quàm verus autem aut falsus in his omnibus fuerim, vtcunq; rei istius fama hactenus studiosè supprimatur, ipsum tamen tempus aliquando reuelabit. Audio nunc quosdam mussitantes, Patres Societatis Iesu in ipsam etiam Persiam penetrasse, & nescio quem insperatum Regis istius fauorem experiri. Quod si verum est, nemo ambigat, quin hoc etiam Imperium, per quod hactenus Othmanidis à tergo securis inijcitur, turbaturi & factionibus repleturi sint, vt Turcis hac ratione respirandi suiq; recolligendi spatium præbeant. Et tum nos etiam de Iesuitarum in conuertendis Barbaris studio rectiùs poterimus iudicare.

Iesuitæ Iuuentutis instituendæ artificiosissimi Magistri.

Religionis conseruatrici propagationi subiungitur *Instituendæ iuuentutis nescio quod occultum & exoticum artificium*, propter quod Resp. (si vtique Ecclesia iacturam hanc negligere posset) Iesuitarum opera carere nullo modo queat. Et hic prætextus superioribus æstimationis pondere non multum cedit, cuius tamen vanitatem viri in omni disciplinarum genere exercitatissimi, qui RomanoCatholicam Religionem publicè profitentur & defendunt, iamdudum Orbi demonstrarunt: Rationibus firmissimis euidenter ostendentes: Iesuitas primùm & Iesuitarum institutum bonis literis & earum deflorescenti splendori plus offuisse, quàm vt easdem promouerint. Ostendentes insuper, Disciplinam Iesuiticam meram corruptelam esse ingeniorum, quorum videlicet aciem retundat, & pro eo, quòd illa liberali institutione informare & excitare debebat, quendam eis potiùs stuporem inducat. Etsi autem probè sciam, quàm hoc etiam multis prorsus incredibile videatur: Ego tamen aliquot heic præstantissimorum virorum testimonia proferre possem, Eorum, inquam, quorum nonnulli in præcipuis hodiè Reipublicæ officijs versantur. Quos non semel conquerentes audiui, se coactos esse Iesuiticæ institutionis vitia aut peregrinando corrigere, aut eadem, postquam iam ad Rempubl. animum appli-

applicauerant, ipso rerum vsu didiscere. Quorum Iudicio experientia ipsa astipulatur: cùm constet inter ipsos Hæreticos, quos hæc secta nempe à nobis pro talibus tractari vult & haberi, Viros inueniri in omni disciplinarum genere exercitatos, qui ad omnia Republic. munia idonei essent, nisi inuidia eos premeret: etsi Iesuitica Institutione nullo vnquam tempore vsi sint. Quomodocunque tamen hæc se habeant, illud apud me fixum manet, si quæ Iesuitis hac in parte ab aliquibus tribuuntur, omnia verissima essent, & ipsi in Poloniam nostram alteras Athenas importassent, illud tamen nimis vile precium esse æstimandum, pro patria libertate, quam pro hac opera licitantur: cùm præsertim eruditæ doctrinæ fructus aliunde non minùs commodè, quàm à Iesuitis, habere possimus.

His tertio loco à nonnullis subiungitur, *Iesuitas homines esse Actuales, quorum in rebus arduis expediendis magna sit dexteritas, eximia fides &c.* Multis hoc in ore est, qui pro Iesuitis nituntur, quos equidem admirari soleo. Siquidem sub hac Actualitate, vt eandem quam mollissimè interpretemur, aliud nihil, quàm ciuilem quandam industriam in expediendis negotijs, poterimus intelligere, qualis scilicet in Aulicis ministerijs præcipuè requiritur. Sed Iesuitæ hactenus nihil minùs videri volunt, quàm quòd secularibus negotijs se immisceant, aut eorundem tractandorum periti sint. Ideoque eos, qui tale quid de se spargunt aut credunt, vel pro apertis hæreticis, vel pro PseudoCatholicis haberi iubent. Itaque videant, qui eos hoc nomine tantoperè commendant, vt eos propterea retinendos censeant. qua ratione hæc inter se concilient. Ego interim Poloniæ Milites potiùs & Aulicos, mihi verò seruitores actuales, Ecclesiæ autem Monachos & Religiosos, pios, doctos, & deuotos opto. Veruntamen si, quod res est, fateri volumus, Epitheton hoc Iesuitis nimis verè competit, de quo totus Orbis, inprimis tamen Europa adeò luculenter testatur: & nos etiam hactenus actualitatem illorum ita sumus experti, vt si, inter nos ad hunc modum diu pergere debeant, de illis Comicum illud rectè vsurpaturi simus, *Quòd si annitantur, ex vnis Nuptijs geminas nobis effecturi sint*, duplicato nimirum, quo in præsentia vrgemur, infortunio.

Iesuitæ Actuales.

Sed

Sed quid putabimus Augustinum reliquosque istorum temporum Patres de huiusmodi Actualibus Monachis fuisse dicturos? Aut quis etiam in secularibus negotijs tam demens fuit, vt in seruo nequam veteratoriam calliditatem laudarit, aut exploratoris exteri solertiam ita commendarit, vt eum propterea sibi fouendum existimasset? Vos igitur, Proceres, heîc scire velim, Ingenio præstante & versatili nihil perniciosius esse, si vires suas ad res malas applicet. Ideoque hancipsam Iesuitarum Actualitatem egomet inter iustissimas metus nostri caussas refero, quæ nobis veternum excutere, nosque ad seriam rerum nostratium curam excitare deberet.

Iesuitarum in rebus turbandis (expediendis dicere volebam) dexteritas.

Illud autem, quod de expediendi dexteritate adijcitur, testimonio destituitur. Quid enim egregij natio hæc inter nos præstitit, quiduè tàm dextrè expediuit, aut quod potiùs bonum non impediuit? Nisi fortè amissam Sueciam, deuastatam Liuoniam, afflictam Galliam, tentatam Scotiam, Anglicas conspirationes, & tot nobilium hominum tragicum interitum, Venetianas practicas, Moscouiticas turbas, perturbatam Vngariam, oppressam Styriam, Carinthiam, Carniolam, & quæ hactenus in Polonia ediderunt aulica progymnasmata pro Iesuiticæ dexteritatis operibus nobis sunt habenda? Ad res quidem arduas aggrediendas & inuadendas satis adhuc audax est hæc secta: audaciæ verò illius euentus is hactenus vbiq; sequitur, vt turbæ maximæ ab illis excitentur: tales nimirum, quæ citra infiniti ferè sanguinis effusionem adhuc nec sisti nec sedari potuerunt. Quamuis autem inter nos malum hoc ad id vsque calamitatis nondum processerit (quod equidem solius DEI benignitati acceptum ferre cogimur) illud tamen iam per deprædicatam Iesuitarum industriam effectum esse constat, vt Caput rerum Polonicarum varijs molestijs & grauissimis curis implicatum hæreat: Respubl. in omnibus ferè membris suis turbata in extremum propè periculum adducta sit: Statui etiam Ecclesiastico tantum vbiq; inuidiæ conflatum, quantum non facilè, vt nunc sunt tempora, superare poterit: Ordo deniq; Equestris grauissimè offensus saltem non in extremam desperationem coniectus sit. Ex qua rerum nostratium dispositione quid sperandum metuendumuè sit, prudentes facilè dispiciunt. Quem

igitur

igitur hæc agendi dexteritas delectat, is videat & prouideat, ne quid Respublica Iesuitica detrimenti in Polonia capiat.

Nec id, quod de illorum eximia fide prædicatur, certioris fidei est: quod tamen illis fortè persuaderi poterit, qui vel Iesuitarum arcanas designationes prorsus ignorant, vel quibus illi os aliâs ita oblinunt, vt propter certas caussas ad eorum palatum omnia dicant & faciant. Quod si tamen aliquis Fidem Iesuiticam verbis extollere velit, dico eam, quanta, quanta est, totam exteris, & quidem citra vllum boni Polonici respectum, addictam esse & arctissimè obligatam: huiusmodi, inquam, exteris, qui etsi corpore à nobis absunt, consilijs tamen & occultis machinationibus nimiùm interdum familiariter inter nos conuersantur. Cum his ergo si fortè aliqua nobis controuersia incidat, ecquid illi nobis de Iesuitarum fide polliceri poterunt! Annon verò in Gallijs, Anglia, Scotia, Vngaria, Venetijs satis iam conspicua fidelitatis suæ documenta in publicum ediderunt, si ad nostratia vtiq; cæcutimus? Et quid in re manifesta verbis opus est, Cum nulla hodiè Europæ Christianæ Natio sit, quæ non de Iesuitarum perfidia, aut saltem perfidiæ suggestione & excusatione conqueratur, si vnam Hispaniam excipias: quamuis etiam sint, qui de Hispania affirment, Hanc pulliciei Iesuiticæ genuinam Matrem horum suorum Pullorum improbitatem agnoscere cœpisse, eandemq; publicè detestari, vt suo loco dicetur.

Iesuitica fides Poloniæ inutilis.

His deniq; à nonnullis additur, *Inconueniens esse, vt Iesuitas Poloni expellant, cùm Galli, qui propter longè grauiores caussas eos eiecerant, eosdem reuocauerint, vbi etiam adhuc citra vllum Reipublicæ incommodum viuant, &c.* Ego verò noui, Iesuitas in Galliam reuersos esse, sed quòd à Gallis reuocati fuerint, ne ipsi quidem, quamuis multa dicant, facilè dicturi sunt. Interim verò artes, quibus se in Gallijs denuò insinuarunt, tales sunt, vt propter illas ipsas eiectionem eorum internos maturandam existimem. Ex illis enim liquidissimè perspicitur, quantum hic Genius intra Europam in versando & circumagendo rerum Ciuilium cardine polleat. Hoc enim sciendum, Iesuitas in Galliam, non propter aliquem eorum vsum, quo Regnum illud carere non posset, receptos esse: sed ad

Gallia Iesuitas recepit.

:vehementissimam Summi Pontificis instantiam, Quem videlicet Rex in tam infida cum vicino potentissimo pace offensum nolebat: cui tamen serium Catholicissimi studium vix probaturus erat, quàm diu Iesuitas Regno arceret. Interea ne illud quidem dubium est, eos, qui Summo Pontifici in restitutione illa promouenda operam suam apud Regem præstiterunt, maiora Romæ præmia consecutos esse, quàm omnes, quicunq; hactenus Reipublicæ militarunt. Quamuis non desint, qui existiment, Henricum 4. hac etiam ratione securitati suæ consulere voluisse, quòd aliâs à Iesuitarum eiectorum insidijs nunquam tutus esset futurus. Quod autem hactenus pacatè dicuntur viuere, id si verum est, admirationem meretur: quantumuis caussas grauissimas habeant, cur se in tam recente anteactorum memoria ad tempus cohibeant, sub illius præsertim Regis Imperio, cuius authoritatem, quam sibi rebus gestis comparauit, non immeritò verentur & metuunt. Quid autem futurum sit, si præsenti rerum Gallicarum Capiti aliquid humani accideret, rerumq; administratio, vt antehac factum meminimus, ad minorennes hæredes deuolueretur, facilè erit diuinare. Cùm verendum sit, Galliam tum demum commissi in recipiendis Iesuitis erroris effectum suo magno malo sensuram. Nos verò hactenus caussa nulla, per DEI gratiam, vrget, vt, Gallorum similes facti, tam ambigui iactus aleam subeamus.

Iesuitæ cur in Gallia pacatè viuant.

Hæc ferè pro Iesuitis ab ijs afferuntur, qui persuasi sunt, nec Rempub. nec Ecclesiam gentis istius operâ commodè carere posse. Præter quos etiam alij sunt, qui etsi Iesuitarum Acta omnium minimè probent, in eosdem tamen nil grauius statui patiuntur, quòd hoc citra maxima Reipubl. incommoda ne tentari quidem posse existiment.

Itáne, Fratres, res nobis eò iam redierit, vt aut Iesuitæ & Iesuitismus tolerandi, omnesq; illorum machinationes cum tam præsenti Reipubl. periculo perpetiendæ sint, aut extremum rerum discrimen adeundum?

Vbi ergo tunc manebunt illa Ordinis istius elogia, quibus ab initio nobis commendati sunt? Quòd homines sint innocentissimi, pacifici, quòd spiritualibus contemplationibus toti addicti,

dicti, in quibus Poloni huiusmodi prorsus Clericos habituri sint, quales iamdudum desiderauerint? Ab his ergo talibus ecquid nobis timendum erit.

Ego tamen iamdudum noui, Bilem hanc citra molestiam ex Reipublicæ corpore nunquam euacuatum iri, postquam iam nostra incuria ad viscera tam altè penetrauit, ipsasq; præcipuè vitales partes tam arctè obsedit. Existimo tamen periculum aliquantò minus futurum, quàm pleriq; sibi imaginentur. Quæ enim incommoda nobis narrant, quæ Iesuitarum expulsionem secutura sint? S. Pontifex, inquiunt, & Hispanus grauissimè offendentur. Magna profectò Numina, quorumq; ira nobis haud leuiter æstimanda est: quid enim de Polonia futurum existimabimus, si Saturnum & Iouem Europæum tam malè dispositos habeat? Ego verò heic serui illius Comici expostulatione vti possem, *Possúmne scire, quot mihi heic Domini perferendi sint?* Ne tamen nimis alicui confidens & securus videar, de vtroq; aliquid dicendum erit. Ad Pontificis itaq; offensionem quod attinet, de ea quidem nullus dubito, quin nimis certò secutura sit, agnosco etiam eam nobis formidandam esse. Cùm verò à Iesuitis longè grauiora cogamur metuere, existimo hanc indignationem Polonis non nimiùm esse pertimescendam. Spero etiam ad eandem auertendam legitima media nobis non esse defutura. *S. Pontifex* enim aut bonus est & talis, qui memor sui officij, Regni Poloniæ æquè ac omnium aliorum Christianorum Regnorum optimum statum promotum & conseruatum cupiat. Cum tali itaq; sperandum esset nobis facilè conuenturum: si nempe missis Legatis ei ad oculum demonstrauerimus, Rem Polonicam nec cum Iesuitis, nec cum Iesuitarum hactenus vsitatis artibus diutius consistere potuisse &c. Nec dubito, quin is tempori cessurus, & indignationem, si quæ oborta fuerit, Reipublicæ facilè remissurus sit.

Incommoda quæ Iesuitarum expulsionem secutura sint.

Summi Pontificis offensio.

Aut idem malus talisq; est, qui suæ tantùm libidini, citra vllum Reipublicæ aut æquitatis respectum indulgeat, omniaque prius sursum deorsum ferri patiatur, quàm vt, quod malè cœptum est, corrigi sustineat: Tum verò iram eius ne curandam quidem existimo: neq; enim vlla vel Diuina vel Humana Lex Polonos

 obligat,

obligat. vt aut suum ipsi periculum sibi scientes accersant, aut Summi Pontificis iniustæ sibique præiudiciali voluntati se per omnia conforment.

Qua in re, si meum alicui iudicium suspectum esset. Maiorum exemplis se patiatur erudiri, vt cogitet, quid ipsi in simili casu fecerint. Cui enim ignotum est, quanta animorum contentione Pontifices olim Crucigeros contra Regnum Poloniæ defendendos susceperint, quàm atrocia Regibus nostris plerunq; minitati sint? Resque tandem eò procesit, vt circa annum 1456. si AEneæ Syluij Epistolis credimus, Romæ Excommunicatio contra Regem Regnumque Poloniæ decreta fuerit. Neque tamen hisce minis, quamuis ipsius etiam Imperatoris Friderici III. indignatio eas acueret, ad eum modum se perterreri passi sunt Maiores nostri, vt non potiorem salutis Reipublicæ, quàm indignationis Pontificiæ, respectum habuerint. Ouum autem Quo tam simile nunquam esse poterit, quàm benè Iesuitarum Institutum, mores, & actiones cum Crucigerorum Ordine rebusque gestis conueniunt. Nam ortus & occasio ferè eadem vtrobiq; fuit: Vtrumq; Institutum ad vnum eundemque finem, per diuersa saltem media, fuit directum: Forma politiæ, exceptis paucis circumstantijs, eadem fuit: vterq; Ordo progressus longè celerrimos fecit, dilatatæque per eos Christianæ Religionis & Imperij laudem tulit: vterq; tandem à seipso ita degenerauit, vt ijs, pro quorum defensione instituti fuerant, graues & molesti esse cœperint. Differentia saltem in eo consistebat, Quòd Crucigeri professi milites erant, remque apertis armis contra Maiores nostros gererent, quorum legitima remedia Polonis nunquam deerant: hoc verò malum intra viscera nostra hærens ijs artibus nos oppugnat, quarum Polonia antehac prorsus imperita fuit. Quæ res facit, vt existimem, Eos nouæ illius sectæ Institutum omnium rectisimè æstimare, qui *Iesuitas Crucigerorum spurios dicunt*. Cùm itaque Maioribus nostris olim Pontificis nec indignatio nec authoritas obstiterit, quò minùs Crucigerorum iniurias acerrimè vindicarent, Regnumq; tuerentur, Cur in simili casu huiusmodi spectris nos terreri patiamur?

Maiores olim nostri Reipubl. salute nihil antiquius habuerunt.

Iesuitæ Crucigerorum spurij.

Sin

Sin tamen hæc alicui fortè nimis antiqua viderentur, illi recentius exemplum habent, quod Auorum memoria accidit, Sigismundus I. quem inter optimos suos Reges Polonia non immeritò recenset, quem etiam Romana sedes adhuc pro genuino obœdientiæ filio agnoscit & prædicat, Albertum Brandeburgicum cum ditione Borussiaca in fidem & Clientelam suam suscepit, tum, quando propter abdicatum Crucigerorum Ordinem & desertam Religionem Romanam non solùm à Pontifice, Sed ad huius instinctum ab Imperio Romano sub potentissimo Imperatore Carolo V. excommunicatus & proscriptus erat. Aula tamen præcipuè Romana fremebat & indignabatur, quòd tota Borussia hac ratione ab Ecclesia in Vtroq; Foro abalienaretur. Nec Sigismundo parsura fuisset, si Excommunicationis aliquem potentem executorem potuisset habere: hic enim desiderabatur! quod tamen is susque tulit. Et quid ego de Regibus dico, cùm nostra hæc ætas eiusdem magnanimitatis & egregiæ fidei in Rempublic. illustre exemplum in ipsò Regni Primate habuerit? Fuit is Iacobus Vchanski Archiepiscopus Gnesnensis, cui cum summus Pontifex Excommunicationis telum intentaret, quòd animaduerteret, Eum in Consilijs publicis maiorem Salutis Patriæ, quàm sedis Romanæ, respectum habere: Is se adeò non passus est à proposito dimoueri, vt Pontifici potiùs rescripserit, se si pergeret ei Reipubl. nomine molestiam exhibere, intentatum fulmen in ipsum retorsurum, Quo responso ictus Pontifex Archiepiscopum missum fecit, vt qui nollet, hoc ei in Polonia facilius factu, quàm dictu fuisse. Cuiusmodi libertatis spiritum si ex illius successoribus hodie, sub hac, inquam, Iesuitica animorum dispositione, aliquis sibi vsurpare præsumeret, Ecquid Vos Proceres, de eo futurum putatis, annon ille quantocyus ad Patres ire cogeretur?

Alberti Brandeburgici exemplum.

Hæc igitur masculæ virtutis exempla quoties in Maioribus nostris considero, toties admirari cogor, quæ res hodiè nostratium Prælatorum animos ita immutarit, vt in multò leuioribus casibus tantas sibi difficultates imaginentur: dum interdum S. Pontificis nescio quæ Regalia allegant, quæ inuiolata retineri volunt: non aliter, quàm si Polonia iam duos Reges haberet, vnum

Clerus Polonicus à Iesuitis corruptus.

Cracouiæ, alterum Romæ. Dum etiam exterorum offensiones sæpius vltra modum exaggerant, Reiq; publicæ se tam difficiles præbent. Quemadmodum iam aliquoties in deliberationibus de Moldauia, VValachia, & tandem etiam Transsyluania fieri vidimus. Ideoq; sic tandem existimo, Eos, qui à S. Pontificis offensione sibi tantoperè metuunt, siquidem Iesuitæ paullò durius tractari deberent, eo ipso satis demonstrare, quàm frigidè erga Remp. affecti sint, & suspicionem de se non exiguam præbere, quòd priuata commoda illis Patriæ salute potiora sint. Quales si Maiores nostri fuissent, Borussia nobis hodiè carendum, & in hunc vsq; diem cum Crucigeris colluctandum esset. Sed & hanc scrupulosam in hoc Ordine conscientiam nulli alij rei hodiè, quàm Iesuiticæ, de qua dictum est, *dispositioni* debemus.

Vbi tamen mirari cogor, quid hi, qui eis hac in parte eatenus astipulantur, vt S. Pontificem nulla in re offendi patiantur, posteritati aliquando responderi velint, si nempe illa ex nostrorum temporum historia rescifcat, Rempubl. Venetam propter improbatas quasdam non maximi momenti Constitutiones, pro libertatis suæ defensione, Iesuitas ex Dominio suo Vniuerso expulisse, & intentatam propterea S. Pontificis Excommunicationem, vsq; ad aperti belli periculum contempsisse: cùm interim Maiores sui in Polonia libertatis alumna tam meticulosi fuerint?

Quòd si etiam in hisce rebus nos ad eum modum à Summi Pontificis arbitrio patiemur suspendi, Polonorum Conditio multò deterior, adde & seruilior futura erit, quàm ipsorum Moscorum: qui in Consilijs de Republ. nulla alia, quàm ipsius Principis Reiq; publicæ Regalia respectant aut attendunt.

Hispani offensio quãti Polonis in hoc casu æstimanda.

Ad Hispanum quod attinet, Ego non video, quæ ei iusta offensionis caussa à nobis præbeatur, si nos nostræ Reipubl. pro rerum nostrarum exigentia pro virili studeamus consulere, citra vllum eius præiudicium? Cùm præsertim ex nostratibus non desint, qui ante Menses non adeò multos ex Hispania domum redierunt, qui constanter affirment, Iesuitas in plærisq; Hispaniæ Vrbibus, propter artes illas testamentarias, & quòd Nobilium familiarum

Patri-

Patrimonia alicubi miro astu ad se pertrahere cœperant, in ordinem redactos, alicubi etiam expulsos esse. Quin & in Aula illa ex parte eos gratiâ excidisse asseuerant. Vtcunq; tamen hæc se habeant, Polonia Hispaniæ non magis ad reddendas administrationis suæ rationes, quàm Hispania Poloniæ, obnoxia est. Et cur Hispaniam magis offendat, quòd nos Iesuitas expellimus, quàm nos hactenus offendit, quòd ipsa eos, vt sibi commodos, tam indulgenter fouit? Quid si verò Rex Hispaniæ Rex Poloniæ audire vellet (quod equidem, quò minus ad libitum consequatur, per Iesuitas non stabit) num ad cauendam eius indignationem hoc ei concedendum esset? Si deniq; eò nos demiserimus, vt domi nobis nihil agere aut tentare liceat, nisi quod aureo velleri probetur, Ecquam Remp. in Polonia habituri sumus.

Verùm heîc nonnulli adhuc pergunt excipere, Iniquum esse, vt Iesuitæ, inter quos non pauci Nobiles sint, nec auditi nec legitimè conuicti Regno expellantur: itaq; eos in ius vocari prius caussamq; cognosci volunt. Est hoc aliquid, quod dicitur, quoq; apud omnes bonos, iustiq; & æquitatis amantes, tantò plus meritò valere deberet, quantò multorum hodie in torquendo corrumpendoque iure audacia magis conspicua est. Heîc tamen exceptio illa locum habere nequit, propter caussas, quæ sequuntur: Primùm enim in ijs, quæ Reipublicæ salutem concernunt, non semper necesse est ordinarium iuris Processum tàm superstitiosè obseruare, quàm pacata Republica fieri consueuit: quando videlicet Reipublicæ status huiusmodi præsentem opem flagitat, vt periculum in mora futurum esset. Deinde heîc non in certas personas agitur, aut de Facti alicuius iure quæritur, qualis nempe illa super Iudæorum Bochniensium scelere quæstio erat, quæ heîc pro exemplo adducitur: sed de incommodis & detrimento Reipubl. quæritur, quæ ei ex Iesuitarum Instituto semper metuenda sunt, si personæ ipsæ puri Angeli essent. Hoc igitur qua ratione in ius vocabimus? Tertio scire velim, quod Forum Iesuitæ in Polonia, quem Iudicem agnoscant, cuiue iuri se submittant, ex quo contra illos agi queat? Miror deniq;, quem ampliorem aliquis in Polonia Iuris Processum desideraturus sit, quàm si totius Equestris

Ordinis

Ordinis Deputati publicè conuenientes vnanimiter decernant, Institutum Iesuiticum contra Rempubl. & libertatem Polonicam venire, eiusq; abrogationem à Regia Maiestate flagitent? Qui, inquam, his suffragijs condemnatur, num is parum legitimè condemnatus censebitur?

Deniq; & hoc à nonnullis heîc obijcitur! Etiam Domi & intra parietes multos offensum iri: cui aliqui adijciunt: si Iesuitæ extra Regnum proscribi debeant, etiam alios, & illos præcipuè Euangelicorum ministros vnâ exterminandos, &c.

Quibus ferè Iesuitarum expulsio omnium ingratissima sit.

Ad prius quod attinet, de multorum intra domesticos parietes offensione, Ego primùm nescio, quinam illi multi futuri sint, quorum offensionem nobis tam periculosam imaginari debeamus, si præsertim reliqui Cleri securitati caueretur? Cùm enim heîc nihil aliud, quàm salus Reipubl. eiusque in longum prorogatio quæratur, nemo hinc tumultuandi occasionem habere poterit, nisi fortè fortunas suas cum Iesuitis ita coniunxerit, vt cadentibus illis ipse stare nequeat. Et hi ferè illi sunt, qui eis omnium molitionum & Consiliorum, fortè etiam contra Regnum, sunt conscij. Et quamuis verendum sit, Eorum plures esse, quàm expediat, ne horum tamen offensio perindè nobis æstimanda est: cùm nemo dubitet, quin bonorum Ciuium, qui Rempub. saluam cupiunt, multò maior pars in omnibus Regni partibus futura sit.

Sed esto, vt heîc fortè aliquid nobis molestiæ sustinendum esset, num propterea Medicinam respuemus? Quæ purgatio ægroto vnquam tàm feliciter cessit, vt non aliquid ex illius operatione torminum senserit? Quòd si Iesuitarum expulsione illos fatales tumultus auertere & præcauere possemus, qui hactenus plærasq; Europæas Prouincias tam duriter afflixerunt, quo de egomet planè sum persuasus: res ne digna censebitur propter quam etiam incommodi aliquid patiamur? Si publicæ libertati, Si Regno nihil periculi est, si priuatorum corpora & fortunæ in tuto sunt, Ecquid tumultuamur? Cur exterorum insidias & conspirationes metuimus? Sin verò hæc omnia nobis ita imminent, vt Iesuitas eorum si non principales authores, perniciosos saltem actores,

promo-

promotores & Internuncios nouerimus, ecquid amplius cunctabimur?

Ad alios verò, Euangelicorum præsertim Ministros, quod attinet, si in eadem turbatæ pacis & oppugnatæ publicæ libertatis culpa cum Iesuitis hærent, nil equidem caussæ dicam, quò minùs & illi, & quicunq; crimini huic quocunq; modo affines depræhenduntur, cum eis expellantur. In suspicione enim turbatæ Reipublicæ neminem quodcunq; vitæ genus tueri potest, aut eidem patrocinari debet.

In puniendis Pacis publicæ perturbatoribus non persona, sed factum respiciendũ.

Sed nunquid heîc res cum re, aut caussa cum caussa conferri poterit? Quemnam Pontificem aut Hispanum Ministri illi intra aut extra Regnum habent, cui hunc agrum arent aut serant, aut ad quem eis, rebus heîc perditis, perfugium pateat? Quales etiam in Aula & circa Reipubl. clauum illorum partes sunt, aut in æternum esse poterunt? Aut quæ prædia hi in detrimentum Nobilitatis coëmerunt, quásue immunitates in fraudem Reipublicæ consecuti sunt? Et quæ etiam illorum vires sunt? propter quas Reipubl. formidabiles, aut saltem suspecti, esse debeant? Quorum diuitiæ ferè omnes in lacera & detrita vtplurimùm Reuerenda, vt nostrates loquuntur, & Bibliorum, adde, si res lauta est, Augustini Codice, nudaq; & numerosa sobole consistit. Ipsi deniq; Euangelicorum Ministri annon vniuscuiusq; pagani Præfecti superioritatem agnoscere, eidemq; se sistere coguntur? Collatio itaq; hæc prorsus inepta, adde & ridicula est.

Ministrorũ Euangelicorum intra Regnum Conditio.

Sunt fortaßis & alia, quæ pro Iesuitis ab illorum Fautoribus nobis obijci possent; sed ea vix maioris momenti erunt, quàm quæ iam allata sunt. Ideoq; hæc sufficient, ex quibus reliqua facilè dijudicare poteritis.

Ex his ergo, quæ hactenus demonstrata sunt, firmiter tandem concludo: ijs, qui hoc tempore Remp. restitutam, sanatam, & in posterum saluam cupiunt, si ordine procedere, si laborum suorum fructum aliquem sibi polliceri volunt, ante omnia operam esse dandam, vt Iesuitæ extra Regnum abigantur: sed ita, vt abacti obcito pessulo reditu prohibeantur.

Expulsionis Iesuitarum qualis effectus sperandus. Expulsa autem & expugnata hac acri & arrodente bile, Morbi nostratis Paroxysmus in genere & paullatim lenietur, reliquæ partes affectæ, Clerus præcipuè, sanabiles & tractabiliores reddentur, poteritq;, quod luxatum est, perocium, citra grauioris alicuius symptomatis metum, curari & restitui.

Quandiu verò hic Incendij febrilis fomes intra Reipubl. viscera retinebitur, nulla nobis salutis & securitatis spes relinquetur. Quodcunq; enim machinabimur, quibuscunq; emplasmatis vulnera ligare & obducere studebimus, opera & oleum nobis peribunt, Malumq; in hac corporis Polonici cacochimia ad leuissimam quamq; occasionem recrudescet. Neq; enim Iesuitæ, licet cætera omnia sanentur, ad Regni Poloniæ Legumq; Polonicarum similaritatem in æternum reducentur, vt illa sub hoc, qui adhuc qualitercunq; durat, statu probent.

Particularis purgatio quomodo secundũ nonnullos instituenda. Ideoq; ne eos quidem audiendos censeo, qui, vt res minus odiosa sit, non Vniuersalem purgationem censent instituendam, sed per partes tantùm bilis istius detractionem & imminutionem faciendam putant. Verbi gratia, sunt, qui eos tantùm extra Regnum propellendos existimant, qui vel clandestinarum machinationum contra Regnum cooperatores aut saltem conscij fuisse deprehenduntur, vel quorum seditiosus feruor publicæ paci præcipuè periculosus censetur. Sunt, qui hanc Iesuitismi diminutionem à locis incipiendam suadent, Vt nempe ex primarijs Regni Vrbibus, aut vbicunq; ab eis Reipublicæ insigne aliquod periculum metuendum esset, remoueantur.

Sunt deniq;, qui putent, Publicæ securitati sufficienter prospectum iri, si latis Legibus intra arctiores carceres redigantur. Hæc igitur consilia paucis discutiamus.

De his primùm in genere sic dico: cum quacunq; Iesuitarum offensione, siue eos in Vniuersum expellamus, siue audaciam illorum ad certam quotam restringamus, Pontificiæ indignationis inuidiam nobis ex æquo metuendam esse: quam tamen plæriq; omnium maximè cauendam censent: hoc saltem discriminis erit, vt si partem aliquam Iesuitismi intra viscera retinuerimus, tantò

Particularis expur-

tantò plus nobis periculi àb eodem Pontifice futurum sit. Cùm igitur cum particulari offensione tantundem difficultatis subeundum sit, quantum cum totali expurgatione, cur non hanc, vt vtilissimam & certissimam, præferemus? Imò hanc ego omnibus heîc ceu Maximam præscribo: *Iesuitas faciliùs ex Regno expulsum, quàm intra Regnum in ordinem redactum iri.*

gationis incommoda.

Dico amplius eos vehementer errare, qui sperant bilem hanc ita cautè posse moueri, vt non protinus exardescat & exasperetur, Et vt non omnes vindictæ occasiones studiosissimè conquisituri sint, quodcunq; fortè ad tempus, propter præsentem necessitatem, simulent: quæ occasiones ingenijs istis intra & extra Regnum nunquam defuturæ sunt, Quod si ergo resumptis aliquando animis & viribus denuò aliquid, & fortè periculosius quiddam, moliantur, quid tum facto opus erit? Num quotannis in Iesuitarum gratiam Generalem Rokofs celebrabimus? Deinde in specie ijs, qui nocentissimum quenq; ex Iesuitis exterminandum censent, respondeo: nec caussam, nec culpam earum rerum, quarum Iesuitæ insimulantur, ita partiri & separari posse, vt alter altero mitiùs aut duriùs tractandus sit. Sic enim iam ostensum est, sectam hanc tam arctè inter se compactam esse, vt totum corpus, & cum hoc omnia eius indiuidua membra in harum præcipuè rerum praxi de quibus nobis sermo est, in vnum conspirent, & ad vnum scopum mente, corpore fortunisq; ferantur.

Iesuitarum omnium æqualis culpa.

In vna itaq; eademq; culpa omnes æqualiter hærent: differentia si quæ est, in ingeniosarum virium saltèm inæqualitate consistit, vt quod vnus aut alter fecit, omnes facturi fuerint, si vires aut occasio non defuissent. Nec credo, auditum esse, quòd Iesuita aliquis à tribulibus suis, ob quodcunque etiam detestandum facinus, publicè damnatus, aut etiam reprehensus sit. In hoc enim genere non peccant, dummodò facinoris perpetratio in illum finem dirigatur, quem Iesuitis in specie propositum esse ostendimus. Quod autem de nonnullorum seditioso feruore affertur, illud per se speciosum est: ego tamen sic existimo, Illos nondum pessimos, aut etiam Reipublicæ periculosissimos esse, qui Posnaniæ, Cracouiæ &c. nullo prorsus habito respectu præsentis

Sæ.Regiæ Maieſtatis ædes exurunt, cæmiteria inuadunt, ſepultorum corpora refoſſa immaniter violant; (contra hanc enim rabiem, licet in hunc vſq; diem impunita manſerit, vel tandem remedium aliquod inuenietur.) Sed illas potius vulpeculas nobis obſeruandas cenſeo, quæ per ſudetas montes Alpiumq; iuga hincinde commeantes, Exoticarum artium ſpiritum ferunt & perferunt. Deniq; remedium hoc, ſi tam benè caderet, vt nocentiſsimi qui ſunt, exterminarentur, nos tamen ſaltem ad tempus releuaret: dummodò releuaret: tam diu nimirum, donec his alij ſeptuplo peiores ſubmitterentur. Num verò hoc ſatis iuſtum operæ precium cenſeri debebit? Illius, inquam, Operæ, quam Reipublicæ tantis ſumtibus, tanta Nobilitatis defatigatione, nec ſine noſtro periculo præſtare conamur?

Ieſuitarum ſtudia quæ nocentiſſima.

Qui verò eos ex Aula & primarijs Regni Vrbibus expellendos ſuadent, illi quidem aliquantò fortius conſulere videntur, ſed non multò plus quàm priores proficiunt. Videntur quidem certæ Reipublicæ partes nonnihil ſubleuari: videntur etiam Ieſuitis præcipuæ nocendi occaſiones eadem ratione præcidi: egoq; iam dudum ita perſuaſus ſum, Nullum grauius in Rempublicam peccatum à nobis commiſſum eſſe, quàm quòd Ieſuitis in hiſce Regni Arcibus ad expediendas ſuas machinas tantum ſpacij conceſsimus. Id quod fortè tum demum ſenſuri ſumus, ſi aliquid fortaſsis periculi à Meridie & Occidente nobis ingrueret.

Secundi Conſilij abſurditas.

Heic tamen admirari cogor, quibus rationibus conſilij huius authores ducantur, quòd in Reipublicæ curatione potiorem Vrbium quàm Equeſtris Ordinis, ipſiusq; adeò cleri reſpectum habeant? Itaq; eos libenter interrogarem quid putent Singularis auxilij ad Rempublicam rediturum, ſi primariæ Regni Ciuitates exonerentur, & peſtis hæc interim liberè in Nobilitatem graſſetur? Sique peregriniſmo huic liceat reliqui Cleri animos continenter ſollicitare, & in tranſuerſum agere? Ecquam illi rebus noſtris ſpem ſecuritatis faciunt? Hi ergo in eo periculosè falluntur, quòd exiſtimant, Malum Ieſuiticum intra Vrbium ædificia ita contineri, vt ibidem tantùm aut ſaltem potiſsimùm Reipublicæ noceat: cùm hæc primùm ipſius Aulæ, vt oſtenſum eſt, deinde publica

lica animorum pestis sit, à qua Nobilitati & Clero, & per hos demum Reipublicæ præcipuè metuendum sit. Quin imò dum Iesuitas in vniuersum extra Regnum propellendos suadeo, in eo Cleri Polonici quàm maximum respectum habeo, Cuius excessus non aliter, quàm bilis huius feruentis subtractione, corrigi posse existimo. *Propter Clerū præcipuè Iesuitæ sunt expellendi.*

Ex his ergo iterum perspicitur, Ne huius quidem Consilij eum inter nos effectum sperandum esse, quo nobis ad res nostras componendas & firmandas opus est.

Restant ij, qui Iesuitas non solùm ex Aula remouendos, & ex Vrbibus expellendos, sed etiam latis Legibus intra Monachorum claustra redigendos, & Ordinariorum iurisdictioni (hoc enim à nonnullis additur) subijciendos consulunt.

Videntur & hi aliquantò longiùs progredi, quibus ego ad vitandam maiorem inuidiam omninò parendum suaderem, si vlla saltem consilio huic spes subesset: sed hanc sequentia mihi in vniuersum præcidunt; Primùm, Iesuitas ita animatos esse certò noui, vt omnia potiùs moturi, omnia turbaturi sint, quàm vt splendoris & existimationis illius, qua ipsorum Ordo hactenus supra reliquos Religiosorum Ordines ipsumq; Clerum Vniuersum eminet, vel minimam iacturam subeant. Iesuita autem si ex Aula excludatur, si in versando Reipublicæ clauo nō omnibus alijs præpolleat, si à publico ita arceatur, vt Claustro inclusus alium, quàm proprium militiæ suæ Ducem, superiorem agnoscere cogatur, si deniq; omnium arcanorum explorandorum occasiò ei adimatur, à summo ad infima sibi redactus videbitur, vt qui iam nil amplius, quàm vulgaris Monachus futurus sit. Quod dedecus Gens ista non mitiori indignationis affectu auersatur, quàm si nobilis aliquis Regniq; dignitarius subitò in abiectissimæ plebis censum detrudatur. Cœlum itaq; potiùs ruere patientur, quàm vt hanc in se ignominam admittant. *Tertij Consilij vix vllus effectus sperandus.*

Esto tamen, vt heîc eos patientiores offendamus, quàm ego sperem, Quæro igitur secundo loco, quibus vinculis eos constricturi simus? Certis Legibus, inquies, publicisq; Constitutionibus. Benè dicis, Egoq; fateor, hæc iusta esse in foro Politico coër-

 cendæ

cendæ libidinis media, quantumuis hactenus per illa non pro ſpe profecerimus.

Ieſuitiſmi incluſi anceps & periculoſa cuſtodia.

Verùm heîc vlteriùs quærere cogor, Eccui huiuſmodi Legum & Conſtitutionum, ſi quæ factæ erunt, executionem commendaturi ſimus? ordinarijs locorum, reſpondebis. Ego verò agnoſco, ad ipſos munus hoc ex Regni legibus ſpectare: ſed quid ſi ipſi tam odioſam prouinciam recipere nolint, aut Excommunicationis Pontificiæ metu non auſint? Veruntamen, ſiue recipiant, ſiue repudient, ne ſic quidem Reipublicæ ſecuritati proſpicietur. Primùm enim antiqua illa diſciplinæ ſeueritas apud nos hodiè multum remiſit, qua apud Romanos olim Parentes de liberis, ſi fortè in Remp. peccaſſent, ſupplicia ſumebant: Verendumq; propterea erit, ne optimo cuiq; ex hoc Ordine & qui aliâs in Remp. rectè affectus eſt, illud in hac cuſtodia vel imprudenti accidat, quod Vir ille DEI 3.Reg.20. in Hiſtor. Achabi ſibi eueniſſe fingit, vt dum ipſe alijs rebus intentus eſt, captiuus, cuius cuſtodiam ſuſceperat, aufugerit. Deinde experientia teſtatur, ordinarios locorum hactenus magis Ieſuitis parere & obnoxios eſſe, quàm quòd hi illorum authoritatem aut iuriſdictionem multum curent.

Ieſuita ſuperiorum Prælatorũ Pædagogi.

Quinimò hi pro Epiſcoporum pędagogis ſe gerunt, quos etiam, vt Aulæ Romanæ Corycæos, metuere & obſeruare coguntur. Qualem ergo coercitionem ab ijs exſpectare poterimus?

Tertiò ſic dico, quodcunq; de his omnibus fiat, nos tamen contra Sectam hanc Legibus noſtris nihil profecturos, in quo me experientia ipſa iam erudijt. Quid enim? *Confœderatio publica* annon Lex eſt? annon Conſtitutio eſt? annon Polonorum ius eſt publicis Regis & Nobilitatis iuramentis ſancitum & confirmatum? Sed quid per hanc eandem hactenus contra hanc peſtem Politicam proficimus? Annon rabies iſta per hoc efficaciſsimum (ſic quidem Maioribus noſtris videbatur) remedium irritata potius eſt, quàm cohibita? Quàm petulanti lingua ſtiloq; ſatirico liuor iſte hoc ſalutare inſtitutum inceſsit, deridet & exſibilat? Tam laxum & molle capiſtrum Dæmon iſte adeò impatienter fert; qua igitur ratione arctius duriuſuè quiddam feret? Cumq; hoc iſti Confœderationis publicæ Conſtitutioni faciant, per quam Ieſuitiſmus propriè

Confœderatio quàm Ciuiliter hactenus à Ieſuitis tractata.

non

non læditur: ecquid de illis fiet, quas in ſuam perniciem factas recordabuntur?

Et quid tandem Ieſuitis Nos præſcribere tentabimus, cum ſuis ipſimet Conſtitutionibus, quæ contra hanc, de qua conquerimur, intemperiem ad ſpeciem inter ipſoſmet latæ ſunt, non pareant? Anno enim ſuperioris ſeculi 93. Ieſuitarum ſuperiores, cum animaduerterent. Res Gallicas ſuorum potiſsimùm ſcelere iam ferè perditas, coacto Romæ generali totius Ordinis Conuentu Statuto ſanxerunt: *Patres ſocietatis Ieſu cum omnibus, qui Ordini illi aſcripti ſunt, à cauſsis & negotijs ſecularibus in vniuerſum abſtinere debere &c.* Huic igitur Decreto Ecquomodo hactenus inter Nos paruerunt.

Statutum Conuentus Ieſuitici.

Sic igitur tandem contra hos etiam concludo, conſultius eſſe, vt tam fera Beſtia prorſus abdicetur, quàm vt Caueæ intra domum incluſa, cum perpetuæ ſollicitudinis noſtræ cruciatu, cuſtodiatur.

Dixi autem, Ieſuitas non ſolùm expellendos, ſed etiam contra reditum omnia diligenter præcauenda eſſe. Neq; enim expulſi quieſcent, vt non omnem lapidem moueant, quò ipſis redire liceat, vt ſic hanc veſti Ieſuiticæ iniectam maculam viciſsim eluant. De quo nos Gallia admonere debet, In cuius Aula Ieſuitarum abſentium practicæ tantum potuerunt, vt cum excuſsi Dentis in Ore Regio lacuna reſarciri nunquam poſſet, Ieſuitæ tamen, reclamantibus Parlamentis & obnitente prudentiſsimo quoq; nõ ſolum reſtituti ſint; Sed etiam Pyramis illa, perpetrati ſceleris æterna Index, fuerit demolita.

Morbi cauſſa ita tollenda, Vt ægroto etiam contra recidiuam proſpiciatur.

Hoc autem inter nos hac fortaſsis ratione omnium rectiſsimè præcauebitur: ſi primùm bona illorum immobilia in alios vſus, ad publicam Regni, præcipuè tamen Nobilitatis, cui maior illorum pars detracta eſt, vtilitatem conuertantur: quod ſic commodiſsimè fiet: ſi bonis literis conſultum cupimus, quarum videlicet interitum pleriq; ſibi per Ieſuitarum expulſionem imaginãtur, detur opera, vt ex ijſdem Cracouienſi Academiæ de viris bonis, doctis, & in omni diſciplinarum genere probè verſatis extra ordinem proſpiciatur. Aut ſi ita placet, præter hanc alia quoq; intra Regnũ Academia inſtituatur, Deinde, alibi in Regno Scholæ hincinde aperian-

Bonorum Ieſuiticorũ diſpenſatio.

aperiantur, in quibus non solùm eruditis Præceptoribus honesta stipendia constituantur: sed etiam pauperibus Scholasticis, ijs nempe, qui Ingenijs valent, sed propter fortunæ tenuitatem literarum studia commodè prosequi nequeunt, de victu & sustentatione prouideatur: Idq; tantò maiori cura, quòd ex Nobilitate etiam omnibus temporibus, qui huiusmodi studiorum subsidijs opus habeant. Et hæc ego singulorum districtuum in Regno ceu publica Gymnasia esse vellem: quorum cura & inspectio certis ex Nobilitate vtriusq; Ordinis Viris & qualificatis personis commendari posset. Hoc si fieret, Iuuentuti nostræ, quæ in spem honorum & ad Reipublicæ ministeria educatur, cum pietate & bonis literis Patriæ Legumq; Patriarum amor & reuerentia à teneris implantaretur, Et Reipublicæ de viris idoneis ad eum modum prospiceretur, vt eidem ab Exterorum factionibus & insidijs minus periculi esset: Iesuitarum etiam expulsorum desiderium, si quod erit, intra paucos annos prorsus euanesceret & obliteraretur.

Militum emeritorum Nosocomia.

Tertiò, si quid superest, vt omninò superfuturum puto, publica ex eo Nosocomia instituantur in eorum vsum, qui in bellis se pro Republ. strenuè gesserunt, & vel vulneribus debilitati sunt, vel per ætatem militiæ labores non amplius perferre possunt, &c. Vt hæc militaris virtutis quasi Asyla constituantur, vbi benemeritorum & emeritorum illa non turpis senectus honestè & liberaliter sustentetur. Cuius sanctissimi & vtilissimi Instituti exempla in Vrbibus Belgicis me videre memini; Cuius etiam specimen nobis præbuit laudatissimæ memoriæ Rex Stephanus, quando VVarsauiæ huiusmodi pro debilitatis militibus Xenodochium instituit & dotauit? A cuius tamen præclara & planè Regia voluntate & intentione nimis citò recessum est.

Nec ego video, quomodo Iesuitarum bona vel sanctiùs vel vtiliùs collocari queant: ita nimirum, vt quæ semel pijs vsibus destinata sunt, ijsdem maneant, Et ipsius interim Nobilitatis damnum, quod à Iesuitis Iesuitarumq; artibus se accepisse queritur, aliquo modo resarciatur: & sic Reipublicæ commodis vtrobiq; optimè consulatur.

Statutū de Iesuitis non reuocandis.

Facta ad eum modum bonorum Iesuiticorum dispensatione, per peculiare statutum sub infamiæ, aut alia aliqua seuera pœna interdici

terdici posset: ne quis primùm de reuocandis aut admittendis Iesuitis vllo tempore publicè aut priuatim mentionem facere ausit, quemadmodum Venetos iam fecisse constat: néue deinceps vlla ex Regno iuuentus, Nobilis præsertim, à cuius salutari institutione Patriæ salus pendet, ad Iesuitas extra Regnum se conferat, ijsdemq; se disponendam committat: ne, dum domi in expurgando Iesuitarum fermento laboramus, illud ab extra nobis nihil tale suspicantibus obrepat.

Tandem opinor, diligenter prouideri oportere, ne per officinas Typographicas talia in publicum spargantur, quæ præsenti Reipublicæ statui & Regni huius libertati quocunq; modo aduersantur: *Typographis frenũ iniÿciendũ.*

Qualia nimirum illa hactenus fuerunt, quæ Iesuitæ sub moderna Regiæ Maiestatis Regno Cracouiæ & alibi contra Confœderationem publicam in vulgus ediderunt: talia inquam, quæ per ipsorum iugulum reditura fuissent, Si Legum publicarum is vigor, ea obseruantia in Polonia esset, qualis in benè constituta Republica esse debet. Vbi tamen vafricies ista hoc insuper dolo vtplurimùm vsa est, vt huiusmodi pestilentia Scripta sub alienis, certorum videlicet Prælatorum, nominibus emiserint: vt nimirum hac ratione vniuersum Clerum in Inuidiæ publicæ consortium pertraherent, & disperso in plures facinore, eius vindicationem Reipublicæ difficiliorem facerent.

Hac, inquam, ratione si in Matris nostræ Reipublicæ Polonicæ curatione procederetur, ita vt in huiusmodi processu sororum eius Europæarum antegressa vestigia intentè obseruaremus, tum demum de internorum malorum medicationis successu spem aliquam mihi imaginari & alijs etiam polliceri possem. Sic etenim peregrinismum illum, vt ita loquar, à quo nobis non abs re metuimus, inter nos eradicatum & penitus obtritum iri confiderem: vt ipsum primùm Clerum, cuius ad afficiendum statum publicum permagnam vim esse constat, commodiorem & publicarum Legum, sicut & Patriæ Libertatis, studiosiorem simus experturi, quàm hactenus eum in rebus maximi momenti experti sumus. Deinde si in Reipublicæ administratione circa Res Polonicas aliquid vitij apparuit, aut negligentiæ aliqua nota fuit deprehensa, opinor & illud,

illud, remota hac corruptela, paulatim emendari posse & restitui, idq; citra omnem tumultum & perturbationem. Tandem in ipsa etiam Aula illud factionum studium, quod hactenus Vniuerso statui Reipublicæ valdè inimicum sumus experti, paulatim residebit & extinguetur: sublataq; & quasi obstructa hac Capitali diffidentiæ & publicæ indignationis scaturigine, omnes Regni partes & Ordines, sub vnanimi Pacis studio denuò inter se coalescent, & sic tandem Reipublicæ totius corpus pristinæ sanitati restitueretur.

Quamdiu verò hoc negligetur, nostris Legibus, Constitutionibus, Confœderationibus, Congregationibus nil amplius efficiemus, quàm vt irritato malo Reipublicæ scissuram amplificemus, dum ignis, qui ad momentum sopitus videbitur, denuò erumpens maiorem fragorem edet.

Hæc sunt, Illustrissimi Proceres, quæ in præsentia de rerum nostratium statu, eiusdemq; correctione mihi in mentem venerunt, quæq; vestro potissimùm iudicio subijcere volui, vt tantum valeant, quantum à vestra prudenti censura valoris & autoritatis consequentur.

DEVS Optimus Maximus, à cuius misericordia & potenti dextera Regnorum publica salus immediatè dependet, ille sub hac fatali rerum Mundanarum conuulsione, vestris hisce in Reipublicæ Patriæ procuratione conatibus, pia studia & sancta desideria suggerat, rectisq; & salutaribus consilijs felices euentus largiatur, Amen.

FINIS.

IESVI-

IESVITA.

Seductor Sueco: Gallo sicarius: Anglo
Proditor: Imperio explorator: Dauus Ibero:
Italo adulator: dixi teres ore SVITAM.

Sigismundo enim Poloniæ & Sueciæ Regi, in Sueciam post mortem patris ituro, hortatores fuerunt Iesuitæ, vt hæresin Lutheranam, in Suecia, vel cum periculo Regni extirparet: vt Epigrammata in SCARGAM testantur.

Regi Galliæ præsenti, aliquoties sicarios, eum trucidaturos submiserunt. Qua de causa, ex toto Galliæ regno, recens etiam renouato edicto, proscripti sunt.

Reginæ Angliæ multiplices insidias struxerunt, & regnum passim, practicis suis turbatum, Hispano prodere conati sunt.

In Imperio germanico, omnia explorantes, ad exteros deferunt.

Apud Hispaniæ Regem, Daui sunt versuti & vafri ministri, practicantes omnia, quæ ad regis illius potentiam amplificandam, spectare arbitrantur.

Italis, Papæ & Cardinalibus seruiliter adulantur, vt eorum patrocinio, vbiq; tuti & incolumes, artes suas exercere possint.

Sic breuiter & rotundo ore, IESVITA descriptus est: (ex loco Effectorum, seu rerum gestarum, apud præcipuos in Europâ reges) quem *κατ' ἀφαίρεσιν* primæ syllabæ, SVITAM, hoc Epigramma appellat.

Varsaviam 1626 . 26 Febr.

Audio dixisse Rmum Legatum hec verba: Habebant Iesuitae pro se favorabilem sententiam: Si haec ita sunt regnum iudicium. Neque enim decet sedem summam ad favores inclinare. Christus est Veritas, Via, Lux. Vicarius igitur Christi est Vicarius Veritatis Viae atque lucis. Respectus ad personas quascunque aut favores tenebras facit densissimas. Scient autem toti mundum iudicaturum de iudicio aut Rotae aut summi Pontificis. Si quid diversum fiat, lapides etiam clamabunt. Unionem nobis ne sanctus quidem Paulus persuaserit, qui sumus artes omnes Iesuiticas tam probe quam septuagenarius aliquis Iesuita, aut eo plus. Revelabuntur aliquando. Interim nos Philosophorum illud considerabimus: Ens, Unum, Verum, Bonum convertuntur. Magno intervallo distant Unum et Unitum. Unum est Unum. Unitum multa continet. Lupus dum ovem appetit, Unionem appetit. Vult enim carnem ovis in suam hoc est lupi carnem convertere. Mitto haec Unum exemplar per occasionem tradet Rmo Legato. Vale. Cracoviae 26 Febr. 1626.

SIN c CERE moniis

Si quid habes Iesu, vita ne gram tibi partem
Qui socium fingit latro vafer rapiat.

Gdy na Groh
za ... Bell
pa ...
...
Mo... Vid... X slow...
napis...
leg... in ...
nota
... ...
...